
IACOBI BVRCKHARD
ILL. GYMN. HILDBVRGH. P.P.
DE
VLRICHI DE HVTTEN
ET ANIMI ET INGENII VIRIBVS
ILLVSTRIS MAXIME
E Q V I T I S
FATIS AC MERITIS
QVORVM HAEC
IN PROVEHENDA LITTERARVM STVDIA
REFORMATIONIS
ITEM NEGOTIVM ADIVVANDVM
PRAECLARA EXSTITERVNT
COMMENTARII
PARS POSTERIOR:
CVI
COMPLVRES INTEGRAE
A FORTISSIMO HOC EQVITE
AD SVMMOS VIROS SCRIPTAE
EPISTOLAE
INTER QVAS NVMQVAM ANTEA EDITAE
INSERTAE SVNT.

PROSTAT WOLFENBVTTELI,
APVD GODEFRIDVM FREYTAG.
EXSCR. HILDBVRGH. TYPIS PENZOLDI.
CIϽ IϽ CCXVII.





AD

BENEVOLVM LECTOREM PRAEFATIO.

FIdem publice nuper datam, *posteriorem* hanc *de Vlrichi de Hutten, egregii Equitis, Fatis ac Meritis Commentarii Partem* emittendo, opinione celerius libero: idque non vnam ob caussam. Primum ab eruditis institutum hoc meum non improbari, adhuc animaduerti; quod incepti peragendi stimulum fuisse, confitear necesse est. deinde illos, quos vereri intellexi, vt opus perficerem, metu mature liberandos censui. Quamquam & tales esse, auguror, quibus opus nimis maturasse ego videbor, & qui hoc diutius premendum fuisse, iudicabunt; quo per-

festius edi deinceps potuisset. quale illi edituri erant, quos idem consilium de *celebrandis Hutteni Meritis* dudum cepisse, postea comperi, quam priorem de his Commentarii Partem foras dedi. Ego vero eruditorum opem, qua destitutos illi se forsitan senserunt, publice imploraui; priorem istam Partem edendo declarans, me de tanti Equitis Meritis commentandis serio cogitare. Nec singulari & in hac Parte conficienda vsus ego mihi non videor fortuna: quæ effecit omnino, vt editionem maturare mihi licuerit. Nam in multarum, & superioris & inferioris *Saxoniæ*, publicarum priuatarumque *Bibliothecarum* adyta penetrandi facta mihi non ita pridem est copia. inter has exquisitissima pariter ac copiosissima *perillustris Domini* DE MÜNCHAVSEN, *serenissimi AVGVSTI WILHELMI Brunſ. & Luneb. Ducis Consiliarii intimi*, *Mæcenatis maximi*, fuit *Biblio-*

bliotheca. In multa Hutteniani ingenii monimenta in singulis fere istis Bibliothecis incidi, numquam antea a me peruolutata. Tantum præterea abest, vt eruditi suppetias ire mihi fugitarint, vt summam quorumdam in adiuuando me benignitatem prædicare necesse habeam. nisi periculum fuisset, ne insolentis a nonnullis in gloriando fautorum numero ostentationis coarguerer, singulos omnino, qui opem ferre mihi non dubitarunt, laudare, ac publice gratias iis agere haud intermisissem. Duos eorum quo minus honoris caussa nominem, temperare mihi non queo: *illustrem* nimirum *& generosissimum Virum*, CHRISTOPHORVM IACOBVM IM HOFF *AB ET IN* WEIDENMÜHL, *& Virum celeberrimum atque amplissimum* CHRISTIANVM SCHLEGEL. Hos enim illos ipsos esse, qui, pro singulari sua ac inusitata hodie in litteras adornandas voluntate, ita prolixe institutum meum

 sub-

ſubleuatum voluerint, vt *præcipua* Partis huius *ornamenta* vltro accepta illis referam, reperies, Lector, ſi ipſum Libellum euoluere haud grauaberis: quandoquidem quid potiſſimum illis a me debeatur, ingenue paſſim ſum profeſſus. Quum de reliquo in præfatione, quam priori Parti præmiſi, pluribus verbis expoſuerim, *ſollemne* potiſſimum *tempus* hoc, quo *Eccleſia noſtra* ſupremo Numini *ſupplicationes* decernit, quod ipſam per *CC annos* diuinitus defendere clementiſſimeque protegere perſeuerarit, exſtitiſſe, quod ad *Hutteni Merita* commentanda me adduxerit: conſilii mei rationem repetere nihil attinet. Etenim *Lutheri* ac ceterorum *fortiſſimorum Veritatis Libertatisque adſertorum* memoriam tam ſollemni inprimis tempore renouari, fas eſſe, quilibet fatebitur, ſpero. *Huttenum* vero quam digniſſimum ſe præſtitiſſe, qui in iſtorum cumprimis referatur nu-

numerum, & qui merito ſuo in illis a *Matthia Flacio* numeratus ſit, qui *atrocia Paparum facinora ex hiſtoria produxerint*, non obſcure in poſteriore hac Commentarii Parte oſtendiſſe me arbitror. Iudicium de labore meo penes te eſto, beneuole Lector. Quid ſit, cur complures *integras ad ſummos viros ab Equite noſtro ſcriptas Epiſtolas* inſeruerim, & *vberiora ex plurimis ipſius Lucubrationibus* ſubminiſtrauerim tibi *excerpta*, facile per te coniicies: nec malam gratiam hac mea opera abs te iniiſſe me, confido. Ipſe certe auctor *Lucubrationes ſuas animi ſui indices* appellauit. recte igitur feciſſe mihi videor, quod iſtas, raras oppido hac noſtra ætate, cognoſcendas quodammodo ſuppeditauerim; qui *Hutteni imaginem* adumbrandam decreui. Facile equidem mihi cum illis conueniet, qui ſatius fore ſtatuerint, ſi omnia Hutteni ſcripta integra coniunctim emitterentur: &

 pla-

plane *excellentiſſimo* cuidam *Viro* adſentior, ad me nuper ſcribenti: *Neque male de Vlrichi noſtri memoria ſaeculoque mereretur, qui omnes nobiliſſimi huius ingenii fetus vno volumine coniunctos in lucem ederet.* verum idem ſimul vereor, quod ipſe veritus addidit: *modo ne obſtet temporum hominumque inſcitia atque iniquitas, nugas potius, quam veram eruditionem laudemque colentium.* Quod ſi centum amplius abhinc annis *Marquardus Freherus*, cuius tamen ætas in ſæculum incidit, quod ſtudiis æquum iuſtumque ſtatuit pretium, quod in diſperſis monimentis in volumina colligendis nulli labori,impenſis nullis pepercit, rem eo adducere non potuit, vt *Hutteni ſcripta*, inuentu iamtum difficilia ſatis, ab ſe collecta in volumen referrentur: quæ ſane digniſſima diiudicauerat, quæ ab interitu vindicarentur, & de manu in manum ad ſeram vsque poſteritatem

tra-

traderentur (a). eſt profecto, quod valde dubito, an id noſtra euenturum ſit ætate. Vtere interea, optime Lector, dum id euenerit, qualicunque opera hac mea, quam in enumerandis excerpendisque fortisſimi Hutteni Lucubrationibus, eodem plane animo ab ipſo ſcriptis, quo pugnare conſueuit, id eſt excelſo prorſus atque inuicto, collocaui; vſibus tuis a me dicata. *Locupletiorem* iſtarum *indicem*, *temporis ſeriem*, vt par erat, ſecutum me dediſſe tibi, cognoſces, ſi cum reliquis, qui exſtant, indicibus contuleris. *Epiſtolarum*, quas integras inſerui, *genus* tale o-

(a) In animo omnino fuiſſe *Frehero*, Huttenica ſcripta coniunctim edere, ex epiſtolis, quas ad *Melch. Goldaſtum* dedit, intelligimus; inter *Viror. cll.* ad hunc *Epiſtolas*, *ex Bibliotheca Heur. Günt. Thülemarii Frf.* an. 1688, in 4 edit. CCCXLI, CCCLX. *Duos Huttenicos agnatos*, qui in Palatinatu ſatrapias gerebant, editionem quam maxime in primis ab ſe exſpectaſſe, adfirmat Freherus: qui multum laborem, vt fatetur ſimul, magnosque ſumptus in conquirendis Hutteni ſcriptis impendere prius neceſſe habuit.

mnino esse iudicabis, quod *mores*, quod *fortunam*, quod *animi adfectiones*, quod *publicum simul & priuatum temporis istius statum velut in tabula repræsentet (b).* dolebis vero etiam sine dubio mecum, plures tam insignes tabulas ex tanto naufragio non superesse: quo & *ingens* iste *ab amicis ad ipsum missarum Epistolarum aceruus* (c) per-

(b) *Verum* demum *Epistolarum genus*, quod ita comparatum sit, existimari posse, *Erasmus* Ep. DVII, p. 554, edit. *Lugd. Bat.* arbitratus est.

(c) ad *tria Epistolarum* ab amicis ad ipsum scriptarum *millia* habuisse Huttenum, *Brunfelsius* testis est, in *Responsione* ad *Erasmi Spongiam* g. 7. idque succisiuis horis egisse eum, addit, vt in *Volumen* istas redigeret; cui *Familiarium Epistolarum* Titulum præfixurus fuerat. Graues ac eruditas inter eas fuisse Epistolas, confirmat simul Brunfelsius; ab *Regibus, Optimatibus, Principibus, Nobilibus, Episcopis, studiosis* & *eruditis* omnibus, quorum nomina & ingenia celebrata maxime tum fuerint, Hutteno inscriptas omnes; & ex *omnibus nationibus*, ex *Italia*, ex *Gallia*, ex *Bohemia* ad hunc missas. quibus non solum de *rebus nouis* certior noster factus, sed in *Romanistas* & *Curtisanos* vehementer sit incitatus: iis enim quod *bellum indixerit*, ad vnum omnes collaudasse; ipsum, vt gerere hoc perseueraret, cohortatos.

periit, proh dolor! Quando autem *Veritas*, cuius studiosissimus fuit Huttenus, odium hodieque parere solet, nec *Libertatis*, pro qua fortissime is propugnauit, *studium* omnibus probatur: facile coniectura adsequor, multos fore, quibus Huttenus in ingenii sui monimentis *nimiam libertatem* præ se tulisse, & *mordaciorem*, quam æquum fuerit, præbuisse se in iis, videbitur. Hi *temporis iniquitatem*, vel *atrocitatem* potius, cum qua conflictandum illi fuit, cogitent velim: *Lutheri* simul *verba* hæc (d) reputent: *Omnes ferme in me damnant* mordacitatem; *sed mihi idem sensus est, qui & aliis: scilicet Deum forte hoc modo revelare hominum figmenta. Video enim ea, quæ nostro sæculo quiete tractantur, mox cadere in obliuionem, nemine ea curante.* Simpliciter omnia, ac optima fide, & loqui & facere constituerat Huttenus; *perpetuus sinceritatis amicus*

(d) quæ T. II Epistolar. p. 6, b, leguntur.

tus, fucum ſummo ſemper odio proſecutus (e). Quod ad ipſam elocutionem eius attinet, ſiue ſoluta hæc ſit, ſiue metris adligata: tam abundantem, ad animorum motus tam accommodatam, tam admirabilem iſtam eſſe, vt ab Eraſmo *Latinæ linguæ delicium* iure & vere appellatus ſit, neminem inficias temere iturum, credo. Nec vero in *patrii ſermonis expolitione* exigua Hutteno debetur laus; qui, vt inter *præſtantiores*, quos *Germania ſecunda* iſta *ætate* vernaculæ linguæ *Poetas* protulit, referatur, tam meruit, quam qui maxime (f). Quum & illo promiſſo teneri me, putauerim, quo recepi, facturum me, vt vna cum poſteriore hac Commentarii

rii

(e) *Symbolis* id ſuis: *Sinceriter, citra inuidiam: Sinceriter, citra pompam. quod bene vertat*: teſtatus etiam eſt. his enim vſus prius eſt, quam Lucubrationibus ſuis adſcribere cœpit: *Iacta eſt alea*: *Ich habs gewagt.*

(f) quamlibet a celeberrimo *Morhoſio* cap. VII *des Vnterrichts von der Teutſchen Sprach vnd Poeſie* commemoratus is non eſt.

rii Parte alteram *effigiem* accipias, Lector, qua

Fortibus Huttenus *stet conspiciendus in armis*;
Sit simul & vultu picta tabella minax (ff):

promisso illi satisfeci. Quod reliquum est, nec in præsenti facere possum, quin vehementer te etiam atque etiam rogem, beneuole Lector, vt, si vel errasse, vel omisisse me animaduerteris, quæ ad Fata & Merita Hutteni illustranda pertinent, amice me de iis admonere haud graueris. Me *ad posteriorem* hanc *Partem Analecta* separatim editurum tum polliceor, qualia *ad prio-*

(ff) vt *Eob. Hessus* p. 865. *Op. Poet.* eam expressit. *Armata* eiusmodi *imagine* sua *maxime delectatum esse* Huttenum, *Ioach. Camerarius* in *Vita Ph. Melanchthonis* p. m. 93 adfirmat. Verum *b. Lutherum* talem *Hutteni effigiem scriptis suis præfigendam curasse*, *patrocinio huius fretum*, *Pallauicinus*, *Faber*, *Raynaldus*, calumniati sunt. qui turpiter plane sese calumniis istiusmodi, ac iis conuiciis, quibus *Hutteni mortem* insectati sunt, dederunt: indigni prorsus, qui refellantur.

priorem, ipſi huic Parti ſubiuncta, accipis. Ita ſane ſe geſſit Huttenus, ita de *Patria* & *Eccleſia* noſtra promeritus eſt, vt digniſſimus videatur, cuius vita omnium ſæculorum memoria vigeat; cuius virtutis, eruditionis meritorumque magnitudinem omnis poſteritas colat atque ſuſpiciat: cuius memoria idcirco communi ſtudio, coniuncta induſtria, ab obliuione vindicetur. Ipſe maximum inſidiarum ac periculorum pleniſſimæ *vitæ* ſuæ *fructum* in *ſpe, optimæ conſcientiæ opinionem ad poſteros peruenturam*, collocauit. Peruenit omnino ad nos opinio eiusmodi, eaque certiſſima: & ſpes ſupereſt, fore, vt grata porro poſteritas magis magisque opinione tali imbuatur. Vale, optime Lector, & poſteriorem hanc Commentarii mei Partem tam beneuole accipe, quam priorem accipere non dubitaſti. Scrib. Hildburghuſæ VI Kalendas Septembres, CIↃ IↃ CCXVII.

PAVCA

PAVCA ITERVM EX MVLTIS
CLARISSIMORVM VIRORVM
DE VLRICHI HVTTENI
VIRTVTE, ERVDITIONE ET MERITIS
IVDICIA ATQVE TESTIMONIA.

Erasmus *ep. CCCCXCIII.*

Huttenus facundissimus Eques, Orator bellacissimus, candidissimi ingenii, bonorum amore dignus.

Otho Brunfelsius *in Responsione ad Spongiam Erasmi, f. 3.*

Huttenus, Vir de pietate, Euangelio, religione, deque bonis viris optime meritus, patriæ libertatis vindex, veritatis adsertor, Curtisanicæ impugnator constantissimus, Papistarum hostis.-- Passus est pro Christiana re multa, & magno animo iniurias contempsit.

Io. Heruagius *in præf. C. Sallustii & Q. Curtii Florib. præm.*

Hulderichus Huttenus, Vir, ne quid aliud dicam, meliori dignus fortuna.

Io. Hagius *in Vita Petri Lotichii Secundi, p. 413.*

Vlricus Huttenus, Eques Fr. virtute heroica atque ingenii gloria magnificus, magnitudine animi ac stili inuicti celsitudine clarus maxime.

Henr. Schwebelius *in dedicatione*

Cen-

Centur. Epistolar. Theolog. ad Io. Schwebelium, & in huius vita.

Vlricus ab Hutten, Eques Francus, vir doctus & vehemens oppugnator Papatus.-- decus & ornamentum litteratæ Nobilitatis Francicæ, cuius æqualem populares hactenus non viderunt.

Cyriacus Spangenberg *in Adelspiegel P. II, lib. VI, c. X. & lib. XIII, c. LXXXVIII.*

Der edle vnd hochgelahrte Vlrich von Hutten ein rechter Ausbund eines von Adel --. ist gewesen ein rechter Liebhaber vnd Verfechter der Freyheit gemeinen Vaterlandes, ein großer Eiverer wegen der lieben Warheit, vnd über dem offenbahrten Euangelio von dem einigen Heylande vnd Mitler IESV Christo, vnd dem seligmachenden Glauben: denn er hat sich bald im Anfang des Euangelii hertzlich angenommen, vnd solches mit besonderen Freuden. Lutheri Schrifften hat er mit Lust vnd Gottesfurcht gelesen, auch dauon reden vnd schreiben kœnnen.

Ludou. Maimburg, *in ill. Seckendorf. Com. de Lutheran. Lib. I, S. 35.*

Vdalricus Huttenus, homo audax, sed gratiosus, amœni ingenii, prosa & carmine Latine & Germanice eloquens, Pontifici etiam magis, quam ipse Lutherus, infestus, & huius perpetuus encomiastes.

DE



DE VLRICHI DE HVTTEN EQVITIS FATIS AC MERITIS *COMMENTARII*

PARS POSTERIOR.



Ortiſſimum *HVTTENVM* noſtrum in *ſpecula* ſua *Steckelbergk*, quo exeunte anno cIↄ Iↄ xix ex *Alberti*, Moguntini Archiepiſcopi, aula conceſſiſſe eum, priore Commentarii huius mei Parte oſtendi; & vbi a me tum relictus eſt, reuiſere decreui. *Dialogum* ſuum *Fortunam* ineunte ſæculi *anno XX* confeciſſe ibi Huttenum, extrema eadem iſta Commentarii Parte præmonui: quem *D. Chunrado, Epiſcopo Wirciburgenſi & Francorum*

corum Duci (a), inſcripſit. Diſceptationem in eo inſtituit de illis, *quæ vtcunque eueniant homini; quæ caſibus alii, quidam fato, ipſe prouidentiæ diuinæ adſcripſerit: Fortunam* vero ſe nuncupaſſe adfirmat Dialogum, *quia in ore ſit mortalibus, quicquid euenerit, eius commemoratio: ſiue enim proſpere agant,* Fortunam *canere homines, ſiue infeliciter, hos eamdem accuſare conſueuiſſe.* Ipſe *Huttenus* cùm *Fortuna* de iis, quæ ſibi & aliis tum contigerant, & quæ ipſe votis potiſſimum expetierat, ſermonem habere fingitur. Tantillum autem contendebat ab hera iſta Huttenus, *quod ad victum ſtudioſæ quieti neceſſarium ſatis foret:* diuitias, quæ mortalibus negotium faceſſerent, quietemque interturbarent, ob quas agerent, ſatagerent, ac omnia miſcerent hi, morari ſe negabat. Quum *Fortuna* ſciſcitata eſſet: *Nec a paternis agris, & poſſeſſionibus tantum redit, vt poſſis in ſtudio conquieſcere? Tantum forte,* reſpondit *Huttenus, ſed*

(a) Ex vetere atque illuſtri Familia *de Thungen* oriundo, anno priore *Epiſcopo* electo. vt eligeretur, ſingularem eius *probitatem*, & eximiam *eruditionem* meruiſſe, confirmat Huttenus: qui dedicationem in commemorata *ſpecula Huttenica Steckelbergk ipſis Kalendis Ianuariis an.* CIƆ IƆ XX ſcripſit.

ſed vt dignitatem tuear interim, eo aliquid adiice. Ad hanc tuendam quantum vellet vt tribueret ipſi, poſtquam percontata fuerat *Fortuna.* is, rationibus ſuis paullulum reputatis, hoc reddidit reſponſum: *Primum vxor vbi continget, iſthic domus comparabitur, iuxta horti, extra villæ, ibi piſcinæ; tum canes ad venandum, equi perpauci, vt exſpatiari nonnumquam liceat: deinde quæ ad villicam procurationem neceſſaria, famuli, cuſtodes, iumenta; domi vero abacus, lecti, culcitræ, lecticæ, porticus, bibliotheca, cœnationes, æſtuaria, balneæ, uxori veſtitus, & ornatus: atque hæc omnia ad vſum cum ſplendore, non etiam ad luxum abundanter: habendum autem, vnde agnaſcentibus liberis proſpici poſſit.* Vtrum laboris pertæſum adeo ipſum iam eſſet, quum interrogaſſet *Fortuna;* ipſe vero, non pertæſum quidem eius ſe eſſe, adfirmaſſet, ſi quis inde redundaret fructus: vel ſic tamen, tot exhauſtis laboribus, quietem deberi ſibi, exiſtimabat; exantlatos ab ſe labores Fortunæ, quæ ſcire eos voluerat, hunc in modum exponens: *Primum optimis diſciplinis dedi operam magnis difficultatibus, vt hoc tempore nemo, haud aliter, atque exſul eſſem, & patria*

 pul-

pulsus, peregre diuagatus maxima in paupertate, miseris ærumnis, & grauissimis nonnumquam morbis. Tantis vt litterarum studia prosequeretur laboribus, *sciendi amore* commotum se fuisse vltro simul professus est; quippe qui omnem vitæ fructum in hoc posuisset, *vt in otio olim studioso esse sibi liceret.* tempus itaque esse tum arbitrabatur, vt ex diuturna iactatione in aliquem delatus portum vitam ibi constitueret; annos iam tot

per varios casus, per tot discrimina rerum

quum egisset, duramque annos iam totos duos in *aula* expertus esset vitam. In quam ab studio transferendi se caussam rationemque aperte & ingenue Fortunæ explicuit: Eo videlicet se contulisse se, quod facile ibi locupletari vidisset æquales. quare vero non idem sibi contigerit, multa in caussa fuisse: primum quia aut non tulerint id Fortunæ casus, aut in illa non destinatum hoc fuerit prouidentia: deinde, quia vitæ genus moribus ipsius non conuenerit; siquidem *aulæ se ineptum senserit*, quum quia *adulandum ibi simul omnibus*, tum vero quia *incon-*

inconſtantes eſſent Principum fauores. quid ſi enim, quærebat ex Fortuna, *me deſerat Epiſcopus* (Albertus), *vbi illud deferbuerit, quo nunc ardet, mei ſtudium?* Faceta in primis in eleganti hoc ac ingenioſo Dialogo eſt *contentio*,. quæ Hutteno *vxorem deſideranti* cum Fortuna eſt. Hæc quærebat: *Quid primum vis omnium?* Hut. *Toties dixi iam, vxor vt ſit*. For. *Vxor eſt bonum igitur?* Hut. *Quædam malum, ego vero bonam peto,*

'Ιϛὸν ἐποιχομένην, καὶ ἐμὸν λέχος ἀντιόωσαν.

For. Ἀλλὰ γυναῖκ' ἀγαθὴν ἐπιτυχεῖν οὐ ῥᾴδιον. Hut. *Niſi difficile eſſet, domi quærerem, & ad te non veniſſem.* For. *Coniugium omnes petitis, quemadmodum ſenectutem, adſecuti moleſte fertis, ſemperque turba circumſtat me petentium, vt vxores ſibi auferam, imperioſam alii, alii iracundam, & moroſam, alii mœcham, quibusdam ſumptuoſas nimis. Tu vero, cui per magna eſt nunc, quantum intelligo, libertas, neſcis, ah neſcis, quam vitæ commutationem facias vxorem petens! hoc eſt, durum vltro ſeruitium tibi arceſſens. an oblitus es Heſiodum poetam* felices *vocare* coniugii expertes? *Simonidem vero* naufragium viri *dicere* vxorem? *& alium quemdam,* præſta-

ſtare efferre vxorem, quam ducere? Hut. *Non ſum oblitus, ſed contemno.* For. *Sapientes viros contemnis?* Hut. *At mihi ſapientes non videntur, qui ſic opinantur; eorum ſententiam præfero, qui quum vſque adeo nihil intenti eſſent rei parandæ, vt nec domum haberent propriam, ſine vxoribus tamen viuere noluerunt; & qui exiſtimant, probam coniugem domus eſſe ſociam, & magnum ad viri felicitatem momentum. Præterea ad illud otium, quod paro, vxore opus eſt, quæ domum nobis curet, magna me ibi leuans moleſtia, quæ circa victum aut parandum, aut conſeruandum, auxilio ſit, ex qua liberos tollere liceat, quæ, ſi quando ægrotem, foueat, alat, paſcat, curet, quæ in malis ſimul doleat, in bonis congratuletur. in cuius veluti ſinum liceat effundere, quicquid ita adficit animum, vt contineri non ſuſtineat, ſed conſcium quærat.* For. *Quæ ad illud opus eſt otium, quæ moleſtia leuet, quæ ægrotantem curet, in cuius ſinum liceat effundere, ſcilicet aut omnes ſunt huiusmodi, aut tibi e pauciſſimis vni continget talis. Age vero, quid ſi ipſum tibi interturbet otium illa tantopere petita vxor? ſi te magna, & inſueta oneret moleſtia? ſi quotidie tecum litiget iracunda, moroſa & aſpera? ſi & ſuam dotem, & tuam pau-*

per-

pertatem profundat, ac dilapidet? ſi in tantum ægrotantem curare nolit, vt fugiat etiam? Quid fugiat, dixi? vt aliquem melius habentem mœchum ſequatur? ſi, vbi tu rideas, ipſa lugeat? vbi te dolor habeat, ipſa lætitia inſultet? ſi omnia aduerſe agat, nihil ſecundum tuam voluntatem? Tu autem pectus tuum aperies mulieri? aut vxori ſecreta committes? Hut. *Satis philoſophata es, da uxorem: de his ipſe videro.* For. *Quam ubi nactus fueris, ita otium ages, vt omnino nihil facias?* Hut. *Immo aliquid ſemper: quoddam enim negotioſum mihi otium propono; niſi non* multum agunt aliquando, *vt Seneca ait*, qui nihil agere videntur. *contemplabor, ſtudebo, legam, elucubrabo. O deſiderabile bonum, optatum portum, beatam tranquillitatem! duc me, age ad vitam, in qua erit otium cum dignitate, negotium ſine periculo. Hæc votorum ſumma eſto!* Non minus vrbana, lectuque iucunda ſunt, quæ ſequuntur paullo poſt. Poſtquam Fortuna ipſa valde dubitauerat, an talem, qualem Hüttenus deſiderare ſe hactenus oſtenderat vxorem, in toto ſuo cornu, quod in manu tenere fingebatur, haberet; *ipſe inſpiciam,* inquit, *atque adeo tene, tene! inuenta eſt. quadam*

dam prospicit adolescentula, hæc est, hanc volui, honesta facies, venusta forma, mores arguit frontis color, in tota decor inest, o rem desiderabilem! For. *Pulcritudo est?* Hut. *Eximia.* For. *Alienum hoc bonum habebis: de moribus in ambiguo est: sunt diuitiæ autem?* Hut. *Portat aurum ingens, immensum!* For. *Servies.* Hut. *Meum hoc periculum est: da, quæso, aut quia non vides, sine vel per capillos extraham mihi.* For. *At tibi irascetur, hoc si facies.* Hut. *Post placabo.* For. *Nihil ages, semel accensa semper ardet: implacabilis est offensa mulier.* Hut. *Hæc placabitur; iam arridet enim.* For. *Tibi tam pulcro?* Hut. *Immo prudentius non formam spectat, sed aliud quiddam miratur.* For. *Cede iam paullum, promendum e cornu aliquid est, quod, hac versa rota, proiiciam. Quibus quid distribui?* Hut. *Hei mihi, hei mihi! o infelicitatem, pæne perdidisti me!* For. *Te ego? quid dolet? aliquid tibi euenit hoc e iactu?* Hut. *Plus satis: hei mihi! primum illam ademisti puellam!* For. *Cui obiecta est?* Hut. *Ex purpuratis vni, qui fastu turget, gloria exsultat, iactantia furit, se magni facit, alios contemnit, monilibus collum obvinctus, & gemmis oneratus, in versicolori vestitu: vtinam videas, quale dedecus*

decus ornaueris, quem illa non amabit. For. *Splendorem secuta est.* Hut. *Fallitur, nescit enim, sub hoc fuco quæ sordes lateant; præterea non bene vir est iste, quamquam sic magnificus. Indigno loco magnum posuisti bonum. Deinde paternum agrum deuastasti mihi immissa tempestate vniuersum, obtritæ segetes, conuulsæ arbores, deiecta domus. O calamitatem eximie miseram! iam esuriet tandem domus hæc.* For. *Dicebam tibi, periculum esse, ne quid acciperes mali.* Hut. *Recte dixisti: nam accepi abunde satis; at ille exsultat gloriosus miles, vxorem habens, & aurum, nihili homo, nugator, vappa, nebulo.* Non ita obscure ex his, quæ hactenus excerpta dedi, de summa Dialogi huius venustate iudicare te posse, Lector, opinor; si istum numquam legeris. Multa præterea memorabilia alia in eo occurrunt: qualia sunt, quæ de *Carolo V Imp.* memorantur: cui quasi ex diuite isto cornu copiæ ad tot regnorum possessionem delatum tum fuerit Romanum imperium: id quod Reges nonnulli, sed omnium maxime Ro. Pontifex, cuius legatus quin eo nomine suspenderit se, parum abfuisse, narrabat Huttenus Fortunæ, grauiter doluerint.

Multa etiam de *Fuccherorum familia*, vtpote cui ingentes iam tum tribuerit Fortuna diuitias, commemorari in ipſo hoc Dialogo, alibi notaui (b). Ex quo illa, quæ ad Huttenum pertinent, vberius ac fuſius paullo proferenda cenſui, vt ſummatim quaſi, quæ in priore Commentarii Parte a me enarrata iam ſunt, hac ratione repeterentur; idque ipſis fere luculentiſſimis Hutteni verbis: quibus eximiam & virtutis & ingenii ſui indolem expreſſiſſe mihi videtur. Enimvero licet multa iocoſe ſatis luſerit in Dialogo hoc: vere tamen & de ſemetipſo & de aliis multa egiſſe ſimul eum, neminem inficiaturum puto: præſertim quod ad *vxoris deſiderium* attinet; quale in epiſtola quoque, anno ſuperiore ad *Fridericum Piſcatorem* ſerio ſcripta, præ ſe tulerat (c). Scite admodum de reliquo veterum, & Græcorum & Romanorum, ſententiis exornauit Dialogum hunc ſuum; dilucide exponens, quali *pictura* atque *imagine* iidem veteres ſapientes *Fortunam* eiusque poteſtatem adumbrare con-

(b) Parte I. Commentarii huius, p. 199.
(c) vid. ibid. p. 226.

consueuerint: cuiusmodi imaginem libello præfigendam curauit. Extrema Dialogi verba non possum quin denique adiiciam: tam accommodata enim ad hoc scribendi genus, tam exquisita mihi videntur, vt nihil possit supra. *Discedam hinc abs te, Fortuna, in tempore, quando & boni adsequor nihil, & mali iam accepi tantum, vt perpetuo meminisse debeam, quam sit a Fortuna nihil exspectandum.* For. *Vt voles.* Hut. *Sic volo, atque adeo in proximum hoc sacellum declinans, a seruatore Christo orabo, vt sit mens sana in corpore sano.* For. *Sapis tandem.* Hut. *Meo magno malo.* For. *Meo beneficio!* Hut. *Beneficio?* For. *Vt dixi: magno enim constare debet tanta sapientia.* Hut. *Age, age, ne me istiusmodi beneficiis adfice: itaque discedo.* For. *Si libet.* Hut. *Valde libet.* For. *Quid cunctaris igitur? an alia prospicit e cornu iterum puella, quæ tibi arrideat?* Hut. *Etiam insultas? O duritiem, & inclementiam! Vale.* For. *Verum heus tu, vis aliud? atque vxore est opus tibi?* Hut. *Hoc volo tandem, vt tu non sis, quæ sic immerentibus, vbi malum dederis, per contumeliam adhuc insultes: nec iam verbum vltra.*

Eodem ferme tempore, quo Dialo-

logum hunc ſuum Fortunam elucubratum eſſe Huttenum, indicaui, illum, qui *Trias Romana* & *Vadiſcus*, inſcriptus, priore iam anno Moguntiæ ab ipſo inchoatus erat, confecit; *Sebaſtiano de Rotenhan, Equiti aur.* adfini ſuo, dedicatum (d): quo

(d) breui quidem, at elegantiſſima *Epiſtola:* quam integram adſcribam. *Sollicite in epiſtolis tuis, dulciſſ. adfinis, quid ſcribam hoc tempore, & an omnino aliquid ſcribam, percontaris. Studii eſt illud tui, hoc facis præter morem; niſi vnquam dubitaſti prius aliquid ſcribere me etiam in aula verſantem, inquietudini & turbis obnoxia. Sed nunc fortaſſe arbitraris, me in hac ſpecula ceſſare; vbi vel maxime ſolitudinis occaſione agere aliquid huiusmodi conuenit. Huius rei argumentum habes* Vadiſcum dialogum: *quem cum aliis peperit mihi quies hæc, atque hi montes. is ſi placebit, conſilium quoque meum ſecedendi tantiſper ab aula non improbabis. Nolo commendare tibi librum, vt bonum, quum res, quæ deſcribo, peſſima ſit; vt liberum, & verum fortaſſe volo: quo nomine vel gratiſſimus eſſe tibi debet. Ipſe quidem mihi, ſi vsquam, in hoc placeo. Vincta erat libertas noſtra, & pontificiis impedita laqueis, ſoluo. Exſulabat veritas, relegata vltra Garamantas & Indos, reduco. Talis ac tanti facinoris mihi conſcius non adfecto publicum præmium. illud peto, ſi quis me hoc impugnandum nomine duxerit, vt cauſſam meam defendendam boni omnes ſuſcipiant: hæc laboris huius merces eſto! Bene vale. ex propugnaculo Huttenico Steckelbergk. Idib. Februariis.*

quo nec vehementius, nec liberius quicquam, vsque ad id tempus contra Romanos aurifugas editum ipse existimauit; vti *Eobano Hesso* & *Petreio Aperbaccho* confessus est (e). Et vere quidem ita existimasse auctorem, reperiet sane, qui verbosum hunc Dialogum euoluerit (f). *Vadiscus* hic inscriptus est, propterea quod ea, quae *Huttenus Ernholdo* narrat (ipsi enim hi sunt, qui colloquentes inter se introducuntur) ex *Vadisco* quodam audiuisse se simulat, qui Moguntiam transiens contumeliose admodum, quae Romae viderit, propalarit; magnum nationi isti apud Germanos concitans odium. Quum vero illa, quae in Romanistas dici posse videbantur, in *terniones* redegerit Vadiscus; id agens videlicet, vt omnia, quae pessime ac peruersissime Romae tum fiebant, in *ternarium* colligeret, *Trias* alio nomine idem Dialogus nuncupatus est ab Hutteno; qui quin ipse sub Vadisci persona

(e) vid. Commentarii mei Pars I, p. 236.

(f) cl. *Baelius* de eo sic iudicauit, -- *1519 il fit vn petit écrit intitulé* Trias Romana, *& vne inuention tout à fait jolie, qui rendit extremement odieuse la Cour de Rome.*

na latitet, nemo facile dubitarit (ff): quamuis Vadisci sermonem, non suum, instituisse, & ea dumtaxat, quæ ex illo audiuerit, retexuisse se, adfirmarit. Longum nimis foret, omnes istos *terniones, quinquaginta amplius numero*, enumerare. quos qui considerauerit, singulare auctoris ingenium demirari necesse habebit. Rationibus, exemplis, testimoniisque singuli propemodum terniones liquido confirmantur; ita, vt omnia *Romanæ Hierarchiæ*, vt tum erat, *arcana* prodi istis videantur: quandoquidem detegere simul contendit Huttenus, quid *fictum* istud *Constantini priuilegium*, quid *pectoralis* ista *reseruatio*, quid *concordata Principum*, quid *sacerdotia curata*, quid *redimenda pallia*, quid *consecratæ* & a Pontifice Principibus dono datæ *rosæ, gladii, galeri*, & eiusmodi alia sibi voluerint. Vt illis, qui Dialogum numquam conspexerunt, patefiat quodammodo, quam accurate, & quam diligenter conquisitis rationibus disseruerit, Hut-

(ff) *Adr. Baillet* saltem non dubitauit, *dans la Liste des Auteurs déguisez* p. 609. *Apophthegmata Vadisci*, quorum auctor itidem Huttenus habetur, infra a me commemorabuntur.

Huttenus de ſubtili hoc atque ſpinoſo argumento, coniuncta continuataque Dialogi verba quædam adferam: Hut. ... *quum tria ſint, quibus omnia ſubigit vrbs Roma*, vi, aſtu, & ſimulata ſanctitate, *vis eſt hæc quidem maxima; ſed quæ non valuiſſet, niſi hoc eam aſtu temperaſſent, vt hominibus perſuaderent, eccleſiæ totius conſenſu eſſe ſancita, quæ quotidie ſtatuunt.* Ernh. *Quale eſt hoc Carolo nuper obiectum, ne quis vmquam Neapolitanus rex in Romanum imperatorem deligatur.* Hut. *Vbi quis non intelligit, quid captent? Sed huiusmodi eorum leges & aliæ ſunt infinitæ, quas illi tamen adorari volunt a nobis. Certe profecto palam credi volunt, plus agere apicem in ſuis conſtitutionibus vnum, quam ſexcentas Imperatorum Romanorum, aut veterum iure conſultorum leges, præferuntque Euangelio canones, & Chriſti doctrinæ pontificalia decreta, minus tribuentes Deo, quam hominibus. Quod obnixe adeo tuentur, vt nefas ducant, quod ſemel pontifex aliquis ſtatuit, contra id vel mutire nos euangelicum quid. At epiſcopus Romanus quoties nouam molitur ſanctionem, aduocatis in concilium vno aut altero ex cardinalibus, aut protonotariis ſuis, vel tot etiam monitis, quot aut ſibi obnoxios habet, aut velle*

idem,

idem, quod conatus, pernouerit, ecclesiæ totius auctoritatem ei, quod sic peperit, decreto, qualecunque est hoc etiam, aut quantumcunque nefarium, prætendit; ibi tum clamatur: Ecclesia hoc statuit, ecclesia non errat, credere oportet in sanctam ecclesiam! *Hoc satis est, hoc omnibus obstruit os, nemo quid mouere audet, intentandæ hæresis periculo: quod de facili adeo intenditur, vt procliuius sit hæreticum fieri, quam errorem vitæ agnoscere. At illi hunc quum effecissent prius fucum populo Christiano, tum vero* sanctissimi *vocabulum agnouit statim pastor ille, nec* beatissimus *salutaui erubuit. Exinde pedum osculationes, & Principum Christianorum ad intentati anathematis terrorem metus. Statim tota illa tyrannis increbuit. verum huic potentiæ opus erat pecunia, vt sumptus plus quam regios facerent. Triplex inuentum ibi consilium extorquendi ab exteris aurum, per* indulgentiarum nundinas, *per* simulatam in Turcas expeditionem, & concessas legatis apud barbaros facultates. Ernh. *Numquam aliquis aptius hæc collegit. profecto tres sunt hæ præcipuæ illorum piscaturæ.* Hut. *Nimirum Petri successores piscari decet.* Ernh. *Verum animas hominum, non pecuniam vniuscuiusque ---.* Initio

nitio Dialogi, priusquam terniones isti; quorum omnium primus hic constitutus est: *Tria vrbis Romæ dignitatem tuentur, auctoritas Pontificis, reliquiæ sanctorum, & merx indulgentiarum*: priusquam isti, inquam, terniones proferuntur, luculente demonstratur, diligenter cauisse Pontifices & Romanistas vsque ad illud tempus, ne quando saperent barbari Germani: quorum simplicitate in tantum illi abusi sint, vt non contenti, pecunia istos dispoliasse, sed iniuriam re illatam verborum adhuc tum contumelia onerarint & auxerint; direptisque iis ac spoliatis, per iocum insuper & risum contemptissime insultarint. Quid? quod ita sine cerebro a Romanensibus putatos esse Germanos, ostendit Huttenus, vt, pecunia quum quid pararetur apud hos, id non esse vendi ac emi; persuasum istis vellent: quum aperte adeo id facerent Romanenses, vt *Fuccheris* etiam *beneficiorum nundinationem* permittere haud fugitarent. Quam libere, quam audacter conscriptus sit Dialogus hic, non ita obscure vnumquemque ex his, quæ hactenus a me allata

inde ſunt, ſentire poſſe, arbitror. *Contra veritatis* ſcilicet, quæ in lucem omnino edenda, quæ ſancta habenda videbatur Hutteno, *hoſtes clamandum & iugiter vociferandum* hic decreuerat; donec foret, qui moueretur querelis, & complorationibus; donec foret, qui hoc inſtinctu ſimul auderet, ac poſſet contra eos, qui non, vt debuerant, per manſuetudinem & modeſtiam Chriſti obſecrauerant ſuos, ſed damnationis metu, ac perditionis terrore coegerant. Quum *Ernholdus* ad hæc reſpondiſſet, recte quidem Huttenum, & qui in eadem ſententia eſſent, audere, huic qui reclamarent tyrannidi; interim vero prudenter cauendas hoſtium inſidias cenſuiſſet, ne quid paterentur ii iſta virtute indignum: atque faſſus ſimul eſſet, non contemnendos ſibi videri hoſtes. *Neque mihi*, pergebat Huttenus: *ſed heus, non fit ſine periculo facinus magnum & memorabile*. Ernh. *Profecto magnum eſt & egregium facinus hoc, ſuadendo, hortando, inſtigando, cogendo, & impellendo efficere; vt ſuam indignitatem cognoſcat patria, & ad auitam recipiendam libertatem ſeſe accingat, ſiquidem obti-*

obtineat quis. Vehemens ſubiectum Dialogo eſt ad Lectorem *Epigramma:* cuius initium eſt:

Cernis, vt Auſoniæ, lector, trina omnia Romæ
Infatuent homines, conſcelerentque Deum.
Cernis, vt, eiecto poſt multa obſtacula Petro,
Impoſtor victa regnet in vrbe Simon.
Cernis, & illudi Chriſto, ſacrumque vocari
Furta Palatini myſtica pontificis.

Prodiit vna cum binis memoratis hactenus Dialogis ille, qui inſcribitur *Inſpicientes*: qui etſi iis, præſertim Vadiſco, magnitudine cedit; feſtiuitate tamen, ac venuſtate inferior non eſt. prius etiam, quam vterque iſtorum, confectus videtur: de illis ſaltem, vt mox patefiet, quæ ſæculi anno duodeuiceſimo acciderunt, potiſſimum agitur in eo. Cur vero Inſpicientes inſcripſerit eum, Huttenus, vel ex ſolis illorum, qui ſermonem inſtituere inter ſe finguntur, nominibus coniicere poteris, Lector; ſi is fueris, qui Dialogum hunc numquam legiſti. *colloquentes* vero introducuntur *Sol*, *Phaethon*, & *Caietanus Pontificis Legatus*. Phaethon nempe Patri iſti ſuo Soli ſuaſor initio exſiſtit, vt nubi-

 um,

um, quas per continuos aliquot dies obduxerant, mole dimota, totius Septemtrionis negotia, vt fieri antea consueuerit, ab se inspicerentur. Quod quum fieret, ipsi interea de *Italorum, Germanorum*, atque *Hispanorum re militari* differunt: Germania tum inspecta, aciem *Augustam Vindelicorum*, quo Imperii proceres memorato paullo ante anno conuenerant, de rebus magnis consulturi, intendunt. Vbi quum ingentes Phaethon strepitus, molestasque inter immodicas compotationes vociferationes exaudiret, pompam præterea obseruaret ibi per medium ingressam: caussam sciscitatur ex Sole: qui *Caietanum* Decimi Leonis Po. R. legatum per pompam istam hospitio educi, narrat; *caussam aduentus* eius *in Germaniam* simul docens. de *Turcis* videlicet tantum dicere legatum istum, terræ filium: re vera autem *Germanorum pecuniam* agi; vtpote quos spoliare, & omne reliquum ab ipsis, velut a barbaris, extorquere aurum animum ei esse, quod non in Turcicum bellum absumatur, sed Romano suppeditetur luxui. verum, mo-
do

do vt ſaperent *Germani*, quos *vsque ad id tempus vrbs Roma perſuaſis ſuperſtitionibus infatuatos habuerit*, legatum iſtum inanem magno cum vrbis terrore rediturum fore ſperabat Sol. Qui honorifice multa de *Germanis*, velut *natione*, *quod ad morum bonitatem pertinet*, *& ciuilitatis opinionem*, *virtutisque ſtudia*, *& animorum conſtantiam*, *ac integritatem*, *cultiſſima*, contra impudentes Italorum calumnias prædicat: *ſi modo ſobrie viuerent*; ſed id tamen etiam futurum haud multo poſt, arbitratur Sol: quod iam minus ac minus bibant, & de madidis illis, etiam qui ſobrii ipſi vsquequaque non ſint, male tamen opinentur. *Saxones* in primis, in totum ceteroquin ebrietati deditos, magnopere laudat Sol: quibus rectius nemo ciuitatem ſuam gubernet, tutius nemo viuat, vel aliorum iniurias felicius arceat; & qui bello ſint inuicti: ita vegetis, beneque habitis corporibus, vt extra nulli. qui ſoli etiam Germanorum medicos ignorent, perraro ægrotantes alioquin: qui iureconſultos magno cum contemptu exſibilent: qui melius multa faciant, quam vlli alii ſo-

brii, prudentius multa disponant; prouerbium quoddam apud se diuulgatum secuti: *de mane consilium, de vespere conuiuium.* Posteaquam generatim tum, idque copiose satis reliquos *Germanos* collaudarit porro Sol: vtpote qui *mutuo constanter fiderent, sincere conuersarentur ac liberaliter, fraude vacarent, insidias ignorarent.* quos Phaethon *rubere* existimabat, *quod lætarentur, atque fiderent, quod abessent ab iis, quæ mentem vrere, animum turbare, & sanguinem minuere solerent, quam longissime: neque enim curis & sollicitudine commacerari eos aut adfligi*, videbat. posteaquam hoc, inquam, & multis aliis nominibus & pater & filius collaudauit Germanos: ille huic de *rerum* apud eosdem *gubernaculis*, siue rei publicæ forma, breuiter, at dilucide, exponit; singulos & imperantium & parentium ordines attingens: de quibus prudenter multa docet. exempli caussa quum Sol adfirmasset, *adsidue inter Germaniæ Principes discordias esse & ciuilia bella, quibus conficiantur perdite*; quæsiuit Phaethon: *Hæc non compescit Cæsar? Compesceret*, respondet Sol, *quos, nisi mutuo sese attererent, nimi-*

nimium haberet contra se potentes? Odii etiam, quo *Equitum ordo in mercatores, liberas* que *ciuitates* flagrabat tum, *caussas* hic explicat. enimuero in ipso isto tum Equitum ordine vetus Germaniæ decus, antiqua probitas, genuina viuendi consuetudo, Solis iudicio, etiamnum hærebat: primi Germanitatem adserebant *Equites*, peregrina exosi, *Mercatoribus* simul infensi, quod hi exotica ista, sericum, purpuram, aliaque nulli nisi ad luxum vsui importantes, optimos nationis mores, & peregrinitatem inducere, mollitiemque genti haud iniuria odiosam propagare perseuerarent. Hos vero mercatores quum *liberæ Ciuitates*, vna cum reliquis omnis generis luxuriæ artificibus, & ignauissimo quoque in sinum recepissent suum, fieri aliter non potuisse, iudicat Sol, quam vt idem Equitum ordo has simul ciuitates odio prosequeretur; & multa hac etiam de caussa latrocinia exsisterent apud Germanos, prædationes, grassaturæ, viarum obsessiones, turbæ multæ. Phaethon etiam, quamquam *latrocinia* hæc, velut *robustam improbitatem, nimium* præ-

terea *rigorem* & *centauricam quamdam asperitatem in Equitibus* improbat; valde tamen displicere sibi testatur, quod sic lautè videret curare se quosdam, &, patrio ritu exterminato, externos, eosque pessimos, mores turpiter admittere; id studentes, vt peregrina mallent flagitia æmulari, quam patriam retinere virtutem. quare consultum censet Germaniæ, vt vno omnia, quæ peregre isti adferant, die, & cum iis ipsi illi ad extremam vsque perniciem adducantur: velut magnorum malorum caussæ, ac luxuriæ instrumenta: quæ arcere conveniret, atque excludere (g). *Sacerdotes* tum & Sol & Phaethon vehementer in-

(g) exclusisse omnino Huttenum a cultu amictuque suo peregre allata, testis est *Io. Hagius* in *Vita Petri Lotichii secundi*, p. m. 569. vbi *Lotichium* hunc sæpenumero maximis laudibus extulisse, adfirmat, in *Huttено*, populari suo, *rationem vestiendi corporis sui sola lana scilicet nata in territorio suo, nullo extero cultu exquisitiori, ornatuve arcessito pretii maioris adhibito, nisi domestico.* quam simplicem, ingenuamque frugalitatem ac modestiam generosam equitis nobilissimi, ac vere heroica virtute & litteris clarissimi, *Lotichium* crebris sermonibus usurpantem, ampliterque prædicantem apud æquales suos audiuisse se, addit *Hagius.*

insectantur atque exagitant, quos omnibus reliquis ordinibus istis nequiores esse, coarguunt: *siquidem nihil penitus publico hi conferant, sed plane cessent, crapulæ, somno, & luxui seruientes, agantque conuiuia, & pergræcentur, amicas foueant, parasitos alant, opipare se pascant, voluptatibus addicti, effeminati deliciis, & libidinibus perditi homines bruti, ac pene ab humanis ritibus alieni.* In horum mores vitæque rationem quum acriter vterque inuectus porro esset: Sol denique *Caietanum Leonis legatum* iracundia percitum & ira inflammatum conspicit: qui ipsi Soli succensebat, insolenter sublato supercilio minitans, *quod decem totos dies ne vnum quidem radium ostenderit* ipsi Augustæ Vindelicorum adhuc dum commoranti, ita omnes de industria nubes obducens, ac si mundo inuideret lucem. quum tamen ad primum quemque ipsius nutum, solito etiam clarius & magis splendide lucere eum oportuisset. Quo minus & huius Dialogi continuata quædam, eaque extrema, verba adiiciam, temperare mihi non queo: quo liquidius de huius etiam Dialogi festiuitate iudicari

 abs

abs te poſſit, Lector. Pha. -- *Adloquar ipſum. audi me, male conciliate tu: Paſcere oportet oues paſtorem, non occidere.* Caiet. *Quid ais, ſacrilege? quid garris, ſceleſte auriga, exſecrationibus conterrende, & comminuende iamiam? has conturbabis rationes tu mihi?* Pha. *Equidem ſi poſſim: quid enim interire etiam vis eos, a quibus multis alioqui modis pecuniam extorquere cogitas?* Caiet. *Exſecrabilis, maleſice, perdite, fili Satanæ, quid mihi obſtrepis? paſtorem tondere oues iniquum eſt?* Pha. *Tondere quidem iniquum haud eſt, nam hoc boni paſtores faciunt, non deglubunt etiam, aut iugulant. hoc* Leoni X *dixeris: qui niſi continentiores mittet deinceps in Germaniam legatos, aliquando videbit coniuratas aduerſus iniquum & crudelem paſtorem oues aliquid ſe dignum facere. Tuos quidem mores cantant illi iam, nec videntur laturi amplius, etiamſi carros excommunicationibus oneratos trans Alpes in eos ages.* Caie. *Non mouenda moues, itaque anathema es, hac te ego ob loquendi imprudentiam pœna adficio.* Pha. *At te viciſſim ego deridendum his, quos compilas, Germanis propino, & exſibilandum, forſan male multandum etiam, exempla in te vbi ſtatuent poſteris, ludibrium es. Sic te ego punio.* Sol.

Mitte nugatorem; inclinare currum tempus est, & vesperi locum dare: hic sine nugetur, fraudet, fallat, compilet, ac rapiat suo periculo. Pha. *Ac male pereat etiam. itaque equos impellam, & hinc nos agam.*

De tribus his Dialogis, quibus auctor *vtramque Febrem* suam de integro adiunxit (h), satis, etiam nimium forsitan multa. Copiosius paullo agendum de iis existimaui, quo facilius patefieret, vere omnino iudicasse *Conr. Rittershusium*, vbi scripserit, *Huttenum* nostrum *pro mirifica ingenii magnitudine acerrime se corruptelis, quas in præcipuis ordinibus notauerit, opposuisse:* illustrem *Thuanum* quoque *Dialogos Hutteni iure elegantes admodum* appellasse, *qui nec Luciani acumini cederent:* ex quibus *animi altitudo, ingenii suauitas, inuicti stili celsitu-*

(h) de qua *vtraque Febre* actum a me est Parte priore Commentar.p.212, 214, 237. Coniunctim prodierunt V hi Dialogi *Moguntiæ ex officina libraria Ioannis Scheffer, Mense Aprili, Anno M.D.XX;* hoc seruato ordine, vt *Fortuna* primum obtineat locum, eamque *Febris Prima, Febris secunda, Trias Romana, Inspicientes* denique sequantur. De *quatuor posteriorum* in patrium sermonem *versione*, ab ipso Hutteno adornata, anno insequenti, *vicesimo primo*, quo ineunte ea emissa est, pluribus a me agetur verbis.

studo, quas dotes prudentissimi viri numquam mirari satis potuerunt, perspicue elucent.

Nondum typis exscripti erant Dialogi hi, quum *Libellus* in lucem prodiret hac insignitus inscriptione: *De Vnitate Ecclesiæ conseruanda, & Schismate, quod fuit inter* Henrichum IIII Imp. & Gregorium VII Pont. Max. *cuiusdam eius temporis theologi liber, in vetustissima Fuldensi bibliotheca ab Hutteno inuentus nuper. in ædibus Ioannis Scheffer Moguntini. mense Martio, Anno M D XX, 4.* (i) Singularem fortunam, qua a in repe-

(i) Inseruit deinceps *Simon Schardius* Libellum hunc, (cuius summam *Matth. Flacius Illyr.* in *Catalogo Testium verit.* p. m. 1312, exhibet) collectioni suæ variorum de *Iurisdictione*, *Auctoritate & Præeminentia Imperiali ac Potestate ecclesiastica* &c. auctorum; primum ei tribuens locum. quæ Collectio, siue *Sylloge Historico-Politico-Ecclesiastica*, vti inscribitur, *Basileæ* primum prodiit an. 1566, fol. ap. *Io. Oporin. Argentorati* postea semel iterumque recusa. Fuse de hac agitur in *Bibliotheca Antiqua*, *Ienæ* 1705 edita, p. 59 seqq. *Melchior Goldastus Haiminsfeldius* etiam eumdem de *Vnitate Ecclesiæ conseruanda* Libellum dignum iudicauit, quem in primis *reuerendiss. & illustriss. S. Rom. Imperii Principum Apologiis pro Henrico IV aduersus Gregorii VII P. & aliorum Patriæ hostium impias ac malignas* Cri-

periendo hoc libro vſus ſibi viſus eſt noſter, priore iam, ſed vergente, anno *Eobano Heſſo* lætanti animo nuntiavit. Eleganti ac digna plane, quæ cum poſteritate communicetur, id fecit *Epiſtola.* publici enim, quantum conſtat, iuris facta hæc adhuc non eſt. Illa ipſa eſt, quam *celeberrimi Schlegelii* beneuolentiæ acceptam referre me, in præfatione profeſ-

Criminationes, adderet: prodierunt Apologiæ hæ an. 1611, in 4. quar. p. 53, Libellus iſte hanc præ ſe fert inſcriptionem: *Reuerendiſſimi & Illuſtriſſimi Principis* Waltrami *Epiſcopi Naumburgenſis Apologia lib. III, pro Henrico IV Imperatore aduerſus Hildebrandi Papæ Epiſtolam ad Hermannum Metenſem Epiſcopum pro iuſtificando facto excommunicationis, quam in dictum Imperatorem fecerat.* Reperitur denique etiam idem Libellus Tom. I rerum Germ. ſcriptorum a *Marqu. Frehero collector.* p. 153, ſic notatus: *De Vnitate Eccleſiæ conſeruanda, & Schiſmate, quod fuit inter Henricum IIII Imp. Rom. & Gregor. VII Pont. Max. cuiusdam eius temporis theologi (quidam* Venericum Vercellenſem, *alii* Waltramum Naumburgenſem *exiſtimant,) Liber Apologeticus, olim ab* Vlr. Hutteno *in Fuldenſi Bibliotheca inuentus.* At neque *Schardius*, neque *Goldaſtus* Hutteni noſtri *dedicationem* ad *Ferdinandum* adiecit: omiſerunt itidem *argumentum*, quod Huttenus Libello præfixerat. *Freherus* tamen hoc integrum, dedicationis particulam non ita magnam dedit.

fessus sum. Ex codice, qui difficulter legi poterat, quam plurimis eius litteris ac syllabis vetustate deletis, descriptam istam mihi misit laudatus Vir, ad studia exornanda natus. cuius ope si in conficiendo hoc Commentario destitutus ego fuissem, memorabilia multa & facta & scripta Hutteni a me sane essent praetermissa. *Huttenus Eobano Hesso salutem. Aliquot ante dies, quum, quid ego in litteris elaborem, tibi significarem, certior fieri abs te petebam, quid ipse interim ageres: num quid & tu pro gloria patriae & huius nationis libertate a tyrannis Pontificibus oppressa recuperanda aliquid auderes* (k). *Quaeso aliquid molire, mihique statim, quale sit hoc, multo ante, quam edes, adnuntia, vt me noua interim spe exhilarem.* Lutherum *in communionem huius rei accipere non audeo, propter* Albertum, *Principem, qui temere persuasus est, aliquid ad se pertinere hoc negotium: quum ego secus iudicem: quod doleo ob quamdam mihi interceptam occasionem; qua insigniter vlcisci patriae potui iniuriam. Etsi nihil socius ob ipsum*

(k) epistola, qua talia ab *Hesso* & *Aperbaccho* sciscitatus est Huttenus, scripta est *Mogunt. 3 Non. Aug. an. 1519.* lib. XII Epist. famil. *Eob. Hessi*, p. 288, inserta.

psum facio ; interim & rectius fortasse, quod opto, me instructum. Praterea Melanchthonem *habet* Lutherus *non ineptum auctorem, cui sua exornanda prabeat. Inueni nuper, dum* Bibliothecam Fuldensem, *pulveribus pane deperditam, & carie situque debellatam, excutio,* Libellum insigniter elegantem, aduersus Gregorium Pontificem (*qui &* Hildebrant) eiusque sectatores inscriptum, *in quo illud ad lacrimas vsque doleo, quod finis deest. Videbis auctorem, (crede mihi) qualem iis temporibus vixisse non putasses. strenue Pontificum tyrannidem oppugnat, & pro libertate Germanica belligerat is animosissimus. Argumentum est* Apologia Henrici, Imperatoris, *quem Pontifex anathemate percusserat. Nihil vidi liberius, elegantius hoc in genere nihil. ita percellit, itaque proterit ac iugulat impostores. dignum duxi adscribere prafationem, qua simul edetur. Hoc tam nobile inuentum prodest amicis circum omnibus vt exspectationem ipsis ingeras: neque enim visum adhuc cuipiam arbitror; valdeque ipse mihi placeo, dum rem eximie pulchram non minus ** quam vt similia audendi animum tibi facerem, vtque torpentem te mutua amulatione excitarem. iamdiu enim est, quod nihil abs te*

noui

noui accipio. Vale ex Steckelbergk, *VII Calen. Nouembr.* Aperbacchum & Mutianum, *nihil ſcribentes, ex me ſaluta. Iuxta præficiſcitur ad* Ionam *epiſtola. Iterum vale.*

Præfationem, quam auſpicato reperto ab ſe Libello huic præmittere tum decreuerat, inſcripſit *illuſtriſſimo Principi ac Domino Ferdinando, Auſtriæ Archiduci.* Longe luculentiſſima ea eſt, & digna profecto, quæ hodieque cognoſcatur. *Iam ad Romani Imperii faſtigium euecto tuo fratre* Carolo, *Princeps illuſtriſſime, ſtudendum ſummopere arbitror omnibus nobis, quibus cura eſſe debet, ne inutiliter expendamus creditum nobis talentum, vt ad optima illi omnia capeſſenda conſultores ſimus opportuni, & ſeduli. Quod quum aliis in rebus facere alios videam, ipſe hoc mihi deſumpſi,* obnixiſſime vt moneam, ne patiatur diutius contumelioſe Romani Pontificis tyrannidi obnoxiam eſſe hanc nationem. *Quid enim prius aliquis exiſtimat, Turcas eſſe debellandos, qui & longius abſunt, & eo genere nobis aduerſantur, quo potuimus ipſi ſemper plurimum, armorum contentione. An prius hoſtis eſt quærendus, quem haud dum ſenſimus, quam huic reſiſtendum, qui in ceruicibus*

iam nostris, magno cum dominationis fastu grassatur? Id quod conari adgressus ego, non tantum periculum non metuo: quippe iuxta Christi sententiam *existimo*, fortiter, quæ vera sunt, dicenda; nec timendos esse eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: *sed premium etiam spero, non hic, vbi minores sunt meritis nostris retributiones, sed in illa sempiterna patria, vbi reddetur vnicuique secundum merita sua. Dabo enim operam, vt abstrusa nuper, & exstare vetita in lucem prodeat veritas, nec locus sit amplius pudendis fictionibus, sceleratis mendaciis: in quæ sic consensisse mundum videmus, vt, quæ Christi sunt, quæ ille obseruanda docuit, pæne iis ignota sint, qui Christum profitentur. Non ferendum est igitur pro euangelica veritate, & Christi doctrina inanes fabulas, hominum mandata, lucri plerumque caussa ab iis commenta supponi, sed reuocanda ab obscuro, & latibulis suis veritas est, & inculcanda denuo hominum auribus, ac imprimenda sensibus.* Ignem veni mittere in terram, *Christus ait*, & quid volo, nisi vt accendatur? *Profecto ingentis meriti est, veritatem prædicare*, Deus est *enim* veritas, *& prædicari se iubet, iis, qui hoc faciant, præmium statu-*

ens. Quicunque confeſſus fuerit me, *inquit*, coram hominibus, & filius hominis confitebitur illum coram angelis Dei. *Et a patre ſic orat:* Sanctifica eos in veritate. *Quamquam erat ciuile alioqui factum meum, & remuneratione hic quoque dignum. Nam ſi bene merentur, qui alienas quoque gentes a tyrannis liberant, eos vt habebimus, qui patriam adſerunt libertatem? Nimis iam enim, nimis, proh Chriſte! licere iſti ſibi arbitrantur in nos, quorum de libertate, nequando remergat, adeo ſunt ſolliciti, vt nobis veritatis quoque ſtudium interdicant. Quot iam annos enim tulerunt neminem; qui verum dicere; aut ſcribere auſus eſſet? immo quot perdiderunt, qui maioris faciendam putabant euangelicam ſcripturam, Dei verbum, quam Pontificum leges, hominum traditiones? quorum aliqui proxime, etſi non minus, quam ego, ſcirent, quæ vera ſunt, quia apud eos tamen plus religione valuit ſuperſtitio? illic trepidauerunt timore, vbi non erat timor. Quæ quum a me longiſſime abſit imbecillitas, & ea reprehendam, quæ corrigi poſſunt; occurrendumque ſit hoc potiſſimum tempore, ſi vmquam prius, publicæ iniuriæ, & magna ſit nunc fato iſti opportunitas: ita accelerandum in re arbitratus ſum,*

ſum, vt, quia diutius abeſt, quam multorum exſpectatio ferat, tuus frater, tibi inculcanda interim quædam exiſtimem, quæ tu cum illo poſtea communices. Quod quum minime adhuc cogitarem nuper; alia enim agebam tunc, forte fortuna librum *in* bibliotheca Fuldenſi, *quæ codices habet valde multos veteres & bonos, inueni* vetuſtiſſimis ſcriptum characteribus, *cuius in fronte neque quid contineat, neque quo auctore ſcriptus ſit, indicium vllum erat: ita ſine titulo, ſine præfatione caput eſt. Accepi in manus, quiddam præſagiebat mihi animus enim, &, vt erat pulueribus obſitus, excuſſi, quædam legi, placuit; continuo plura, mox totum percurri, raptim primum, poſt paullo accuratius. Cognoui inuentum nobile, rem tempori accommodatam, & deſiderio vniuscuiusque boni ſummopere expetendam. Eſt enim de* vnitate eccleſiæ conſeruanda, *de* officio boni pontificis, *de* auctoritate ſacerdotali, & Imperii Romani dignitate *conſcriptus, tum* ſchiſma deteſtatur, ſeditiones & diſcordias tollit, pacem prædicat, & ſtudium veritatis adſerit: atque omnia hæc euangelica doctrina, & Apoſtolorum ac Prophetarum fulcit teſtimoniis. *Exſilui gaudio, ita me Chriſtus amet,*

& lætitia exſultaui, magis etiam inueniens, quod non quæſieram, ſed quod erat alioqui tamen quærendum, quam ſi dedita opera incidiſſem, ſtatimque venit in mentem mihi huius Menandri *ſententiæ,*

ἔρχεται τ' ἀληθὲς εἰς φῶς ἐνίοτε οὐ ζητούμενον.

Quod ſi adfuiſſet tunc Carolus, *vt eram inopinatæ lætitiæ concitus impetu, ad ipſum procurriſſem, munus hoc offerens, non niſi ſummis, vt mihi videtur, dignum, putaſſemque hoc faciens, magnum me quidpiam, & non exigui meriti dediſſe. Nam haud dubitabam, ſummopere hoc illi gratum futurum, confidenterque credebam. hoc ab eo factum pro ſui dignitate æſtimatum iri, intellecturum ipſum vero, nonnihil eſſe in me, quo vobis prodeſſe poſſim. Quæ eſſe poteſt enim pretioſior opera, quam ſi quis vos ſeruire non permiſerit?* Seruierunt *enim Romanis Pontificib. ſeruierunt, proh pudor!* quotquot ex *Germanis* Imperatoribus *aut vrbe Roma illis ceſſerunt, aut ſcelerate ementitam Conſtantini donationem ratam habuerunt, aut iusiurandum inito principatu reddendum illis dignum duxerunt, aut ab eorum pedibus acceperunt imperatorium diadema, aut ſententiam in ſe dicere paſſi ſunt, aut ſua edicta, ſuasque leges*

ges ab illorum constitutionibus supprimi tulerunt, aut Germaniam quotannis compilandam illis permiserunt, aut ad palliorum episcopalium Romæ mercatum, veniarum hic, dispensationum, gratiarum, & omnis generis bullarum nundinationes conniuerunt. Quid dicam de his enim, qui petenda Romæ omnia putauerunt? fuit in iis, non dico, imperatoria dignitas, sed fuit, aio, animorum vis, aut vllum fuit Germanæ virtutis momentum? Quorum sicut pudere nos debet, ita ex Henrichi IV, fortissimi ac bellicosissimi omnium, qui in Germania imperauerunt, Regis *virtute, multum ad communem nationis huius accessisse gloriam arbitrabimur. ad cuius imitationem si quid instigare* Carolum *potest, hic poterit liber. Exprimit enim vitam illius euidentius, quam posset vllus pictor, aut statuarius corporis lineamenta. Sed hunc dedicare illi visum non est: sunt panegyrici enim, quibus excipere venientem paro. tibi dedico, quum quia neque omnibus, neque multis adeo obtundere oportet iuuenem Regem, tum quia plerumque adfuturum te illi de restituendo sibi imperii statu consultanti arbitror. Quod facite, oro, nec diutius sinite* Romanenses aurisugas *illudere nationi, orbis reginæ. Ipse non deero sedulus monitor, etiamsi*

 me

me terruerit quis, & vim minatus fuerit. Quam non essem vere Christianus enim, si, quem ad veri pastoris vocem exsilire decet, is ad praeceptum furis, qui non per ianuam, sed furtim & clandestino introitu ouile Dei irrepit, vllam in moram consentirem. Peregrina erit haec vox enim, cuiuscuius erit, nec pastoris habebitur domestica. Quamquam Leonem X *nihil tale facturum opinio est, sic pacem promisit nobis, & veri pastoris, ac ipsius Christi imitationem proposuit. Quare non vereor seditiose quid in ecclesia, aut republica Christiana acturum eum, quem, si constanter hoc faciet, nec a Petri vestigiis aberrabit, non tantum non habebimus in eorum numero, contra quos hic scribitur, sed praecipua quadam, & singulari supra ceteros veneratione dignabimur; qui post tot peruersos Pontifices primus in veritatis, & iustitiae via praeire posteris inuentus sit. Tot iam saeculis sano Pontifice opus fuit mundo. Quid? quod libros veteres, vbivbi lateant, exquirere, ac in vulgus edere nos iubet: en adinuentum illi igitur! quem, si talis est, amabit necessario, eiusque repertori fauebit in omnes euentus; tantum abest exsecrationibus, & maledictis, quod iam suspicari aliquos video, bene merentem de publico impetat. Iam non esset hoc enim pastoris* Leonis, *sed prae-*

prædatoris lupi deuorare, quod oportuit pascere, aut perdere, quod custodire necesse erat. Quare etiam minime laturum eum arbitror, vt, si velit etiam Carolus, *ea via, qua ex proximis Imperatoribus quidam, ad summam rerum capessendam ingrediatur. Proposuit enim Petrum imitari: quem quid potuisset turbatum magis reddere, quam si quis olim monuisset, aliquando futurum post se Christi vicarium, qui non regnum tantum vsurpare in animum inductuus sit, verum regibus etiam Christianis qui per contumeliam osculandos pedes obiicere ausit? Quid posset inueniri dissimilius enim, quam illum lauare suorum pedes a Christo iussum, hos ad propriorum pedum oscula, si Diis placet, Christianos cogere Principes? O præposteros igitur Pontifices, & quibus nihil cum Petro, nihil cum Christo est commune! Sed hi quanto venerabiliores essent apud Christianos omnes, si eos Romam veniens quis in templo diui Petri supplicantes inueniret, quam quod ex mole Hadriani bombardis detonantes perhorremus? Vbi monendi sunt & ipsi per caritatis suggestionem, ad se ut redeant vltro potius nunc, quam paullo post coacti. Tyrannis reliquis securius est tenere imperium, quam deponere, Pontifices Romanos, quod solum odibiles facit auari-*

tiæ studium si quando deseratur, non modo periculo non exponet, & eripiet etiam. Quippe incipiunt sapere iam, qui per fraudem infatuati erant, & oculos recipiunt, quos superstitionis excæcauerat error. Quod si de hominibus non suspicandum etiam videretur, tamen vltores Dei oculos putarem metuendos. Qui si olim eiecit ex templo Salomonis, qui res ibi friuolas, & profanas emebant, ac vendebant, quid eis faciet, qui in ecclesia sua, haud citra detestabilem illius pollutionem, sacrorum etiam mercatum instituerunt? Non ab iis auferet vineam suam Paterfamilias cœlestis, & locabit eam aliis, malos vero male perdet? aut non hoc faciet, quod per os Ezechielis *propheta est comminatus?* Pro eo, *inquit*, quod facti sunt greges mei in rapinam, & oues meæ in deuorationem omnium bestiarum agri, eo quod non esset pastor, neque enim quæsiuerunt pastores gregem meum; sed pascebant pastores semetipsos, & greges meos non pascebant, propterea, pastores, audite verbum Domini. Hæc dicit Dominus Deus: ecce ego ipse super pastores requiram gregem meum, de manu eorum, & cessare faciam, vt vltra non pascant gregem meum, nec pa-

scant

ſcant amplius paſtores ſemetipſos, & liberabo gregem meum de ore eorum, & non erit vltra eis in eſcam. *Fuimus iis enim in eſcam, nec debita tenuit eos animarum noſtrarum cura, ſed auara exercuit pecuniæ noſtræ cupido. Nec illud quæſiuerunt, vt ſua doctrina meliores nos facerent, ſed vt, ablato nobis auro & argento, ſe locupletarent: quo nomine nouas quotidie exactiones fecerunt. Nam præter id, quod ſub religionis fuco per fraudem abſtulerunt, pro gratiis, pro diſpenſationibus, pro relaxationibus, pro condonationibus, pro abſolutionibus, & id genus nugis pecuniam emulgendo, nuper vi etiam & violentia cœperunt contendere, pecuniam ſibi deberi pro palliis epiſcopalibus, eamque ſtatuerunt ſuo arbitrio immodicam, & quæ ad eccleſias noſtras contulerunt maiores hic noſtri, dimidia plus parte ad ſe pertinere, & magno ſuo cum lucro diuiſerunt annum in menſes papales, & ordinarios, ac id ſanxerunt, vt liceat ſibi ſacerdotia habere in Germania, nobis in Italia haud liceat: & eundi Romam neceſſitatem impoſuerunt iis, qui ſacerdotia ambiunt, & ita de his licitari ſunt paſſi, quemadmodum de pipere, & croco mercatores noſtri, & nullus eſt pæne ſcelerum & impietatis gradus, ad quem non empta ab i-*

psis venia aditus sit.. Hi sunt, de quibus per Hesaiam *dicit Dominus:* Populum meum pastores sui spoliauerunt, & mulieres dominatæ sunt eis. *Neque magis enim ob id ferendi non sunt, quod rapiendo, ac fraudando tyrannidem in nos exercent, quam quod propter libidinem omnia faciunt, ac dediti sunt voluptatibus, & otiantur in deliciis, ac turpissime vt plurimum vitam degunt. In summa, non bene viri sunt: vt recte obiicere nobis possit quis indignum hac natione dedecus, quod quum maiores nostri parere Romanis, bellicosissimo tunc populo, & orbis domitori, indignum duxerint, nos delicatulos istos, libidinis & crapulæ seruos, otio & ignauiæ deditam colluuionem, magis, quam vllas feminas, ab animorum virtute derelictos, & mollitie perditos homines non feramus tantum, sed, vt in luxu degant etiam ipsi, pudende hic egeamus, tamquam nos bello vicerint, tributa pendentes, & patrimonia in eos nostra profundentes. Contra quos nouo & necessario reip. Christianæ commodo si quis diceret, aut scriberet, persuasum vulgo erat, hæreticum esse eum, & pro excommunicato habebatur. Quam ineptam,* Ferdinande Princeps, *& stolidam penitus opinionem, debemus magno ab omnium animis studio auellere, tibi*

in

in primis, tuoque fratri consultores adesse, vt, nobis reddita libertate, illis furandi, grassandi, fraudandique intercipiatis consuetudinem. Ea erit prima, & plana in melius redigendi statum imperii via, id erit vobis magna & vera initium gloriæ. Certe ad me quod pertinet, dicendum mihi arbitror, & scribendum etiam hoc tempore ea, quæ vera, & necessaria quæ sunt: præsertim quum & sciam, & possim, & debeam, ne quando cum propheta poenitente cogar dicere: Væ mihi, quia tacui, quia homo pollutis labiis ego sum! *Profecto enim* obediendum est magis Deo, quam hominibus. *Præcipit nobis enim Deus, vt veritatem prædicemus, seque* veritatem *ipse vocat.* Paulus *vero discipulum erudiens,* prædica, *inquit,* verbum Dei, insta opportune, importune, argue, obsecra, increpa, in omni patientia, & doctrina. Erit enim tempus, quum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coaceruabunt sibi magistros prurientes auribus. *Hoc illud est tempus, profecto hoc est, atque igitur prædicandum nunc, arguendum & increpandum, quum quia ad summum conscendit scelerata ipsorum auaritia, tum quia i i tuum fratrem optimæ spei iuuenem incidit*

dit rerum gubernatio, qui & potest facillime-
bis mederi malis, & occasiones habet, vt vix
vllus ante se, bonas: *quo cum hunc* librum,
veluti quoddam vtriusque vitæ exemplar,
quod vos erudiat, communica. Clarum ex-
imii Imperatoris facinus ad pulcherrimarum vo-
bis rerum æmulationem hortamento esse debet.
Tibi enim sic dedico librum, vt tecum ipsi com-
munem esse velim, quem non potestis non sum-
mo amplecti studio: veritatem profitetur e-
nim, & heroicum summi regis factum aduer-
sus impudentem scelerati impostoris calumniam
tuetur, & ex euangelio totus est, ac verbis Chri-
sti apposite concinnatus. Decet autem verita-
tis studio teneri vos, & ab adulationis veneno
sanas habere mentes, ac aures. Sane Principi
Dion *præcipit super omnia* veritatis, *ac* sim-
plicitatis *vt amicus sit, hanc regiam virtutem*
consectetur, astutiam & fraudem vti seruilia
putet. Pythagoras *vero interrogatus, quid-*
nam potissimum simile Diis homines faciant,
quum vera loquuntur, *respondit. Quod co-*
nandum vobis existimo, vt Diis similes, id est,
vt plus quiddam aliis hominibus sitis, alioqui
Principes non eritis, supra alios si nihil erit in
vobis magnum, nihil admirandum. Hic vide-
re videor quosdam obstrepere mihi, hoc dicentes,

Quid?

Quid? tu Pontificem contemptum reddes igitur? *Ego vero minime, ſed adempto illi fuco, vt vera Pontificis eniteat imago, faciam, detractoque eo, quodcunque illo indignum eſt, reddam quod amiſerat:* ex tyranno Pontificem, ex rege patrem, ex fure paſtorem mundo reſtituens. *Quaſi vero cuiquam venerabilior eſſe poſſit arma gerens (quod abſit) bellator Leo, quam pro pace eccleſiæ ſuppliciter orans idem togatus: Sed iam de his plura deſinam. Valde mihi placeo ex hac fortuna, Princeps* Ferdinande, *qui librum nobis inueni ſic vtilem, ſic neceſſarium, & ſalutarem; hoc præſertim tempore, quo agi res denuo iamdiu intermiſſa ingenti cum ſpe Principum ac populi Germani incipit, vt nihil fieri a nobis inſuetum, nihilque nouum videant ii, qui, quum aduerſus iniquisſimas illorum exactiones mutiremus nuper, hæreticos clamabant, & ignem nobis minabantur, ac Romam pertrahebant magno cum Germaniæ motu. Quaſi nemo ante nos tale quicquam auſus eſſet, aut, ſi nemo etiam auſus eſſet, non huiusmodi eſſent ſua ſcelera, vt hac publica totius Germaniæ rebellione vindicari oporteret, ac ſtrenue puniri. At nunc vident, quid veteres quoque illi conati ſint, quibus ſi minus ceſſit hoc, in culpa non fuit eorum im-*

imbecillitas, sed illorum temporum infelicitas, quibus potuit plus vulgi superstitio, quam aut vllius fides, aut Christi religio. vt miserear clari per omnia Imperatoris, qui non in melius, & se dignum inciderit seculum. Quid fecisset enim inter sanos homines, qui in illis circa se motibus, hac temporum peruersitate, annos tot tam pertinaciter luctari cum inimicis perstitit? Sed idcirco illum damnauerunt, quod liberam voluit esse Germaniam, nec Pontificem tulit plus arrogare sibi, quam Christus dedit, aut quam ferre orbis possit. Damnauerint, nos laude, nos gloria prosequemur. Bruto *statua fuit Romæ, quod reges exegisset Romanos: nostro infamia erit, quod ab externa tyrannide liberare patriam conatus sit? Quæ indignitas, o Christe! quod flagitium! quæ iniquitas! Alios pro sanctis haberi iubent, quia vrbes sibi, & oppida, & totas aliquando ditiones contesserunt: quisquis aduersus Pontificum iniurias mouere brachium ausus est, excommunicatum pronunciauerunt eum, & tamquam morbidum membrum ab ecclesiæ corpore disciderunt. Hinc illæ sunt in decretalibus exsecrationes, illa maledicta ab iniustis profecta iudicibus, quorum maledictione os plenum est & amaritudine, & dolo. Sed disperdet Dominus labia dolosa: ipsi ve-*

vero cognoscent, quoniam Dominus ipse est Deus, & solus altissimus in omni terra, qui ponet in pondere iudicium, & iustitiam in mensura. *Fuit tamen diu iam incognita* Henrichi *virtus. nam qui in Italia res eius scripserunt nuper, aut ab illis sumpserunt, qui in gratiam Pontificum mentiti sunt omnia olim, aut ex communi odio, quod ab inimicis Pontificibus, & contraria factione disseminatum est passim, mutuati sunt, tantum clariss. Imperatori detrahentes, quantum scelerato* Hiltebranto *concedendum arbitrati sunt. Qua de re alios sequens sic nuper scripsit hospes meus* Baptista Egnatius: Certe numquam laudes, Gregorium Pontificem ab eo obsessum, adulterinum Pontificem vnum & alterum superinductum, dolis & veneno etiam in illos grassatum. *Non desinam amico eximie probo & inprimis modesto familiariter respondere: nam quod alii scribunt, quid ad me pertinet?* Certe numquam etiam laudes, *Egnati,* fraude petitum ab illo impostore Regem vere Christianum, ac strenuum, pestilentes concitatas in Germania discordias & seditiones, coactos in mutuam cædem ac sanguinis effusionem Principes, & populum Christianum,

num, turbatam Italiam, deuaſtatam vrbem Romam, ſæuitum ferro, graſſatum veneno. *nec tantum numquam laudes hæc, ſed, quæ tua eſt integritas, vbi, quemadmodum vterque vixit, perpenderis, accuſes etiam atque improbes. Quæ poteſt enim cauſſa ſatis iuſta gerendi belli eſſe ei, cui omne ſemel bellandi ſtudium interdictum eſt? Inique agit vero, qui clauſum obſidione premit eum, a quo ſolutus ipſe prius & in opinione fœderis conſtitutus clandeſtinis domi machinationibus impetitus erat? Quid? non erat hoſtiliter inuadendus, qui amico ſe colloquio nolebat committere, & ope atque opibus gerebat bellum? Tu Pontificem probas autem, qui a præſtito iureiurando abſoluit quemquam, nedum Principes populorum; qui abſoluit, quodam hoc quaſi pomo diſcordiæ, quo in ſe concitentur, obiecto? Iam* Henrichi *vita longe aliter habet, quam Italici produnt annales: certe enim, quod veteres bibliothecæ noſtræ indicant, nemo vſquam diligentius tunc res Principum ſcribebat, quam apud nos* monachi. *Quare quum inueniſſem nuper in eadem* Fuldenſi *bibliotheca* quinque libros de vita Henrichi conſcriptos, *fuerant autem plures: ſed poſteriores illi abrepti ſunt, ſcelere, arbitror,* Aeneæ Syluii, *qui poſtea* Pius

us *fuit*, *&* *bibliothecam eam misere deuastauit. addidi continuo ea, quæ in* Chronicis Fuldensib. *de eadem re scripta inueni; quo ne mundus ignoret diutius, quales fuerint, qui displicuerunt malis. Profecto minor fuit scriptoribus Italis nostrorum cura, & venerabilis est apud omnes passim nationes* Germanorum fides, *&* integritas: *quo minus dubitare quis possit, vtros audiat potius. Verum ne diutius præfando suspendam te, Princeps* Ferdinande, *iam ad ipsum te Librum, quem dedico, admittam.*

Mirifice quidem ex fortuna, qua in tam eximium librum incidit, placuit sibi Huttenus: verum tantum abest, vt edendo eum gratiam a Pontifice inierit, vt minaces hic paullo post & acerbæ satis, quam in Huttenum ea re gerebat, iræ plenas hasce ad *Albertum Mog. El.* miserit litteras (l). *Dilecto Filio nostro tti sti Grisogoni Presbytero, Cardinali Moguntino, Sacri Romani Imperii Principi Electori, &c.*

 Leo

(l) quæ clarissimo *Miegio* debentur: hic enim eas, *Monumentor. Pietatis & Litterar. Viror. illustr. Francof.* 1701, 4, ed. P. II, p. 47. seq. insertas, publicavit: postquam *Abrah. Scultetus Annal. Euangel. renou.* Dec. I, ad an. 1520, ex autographo *Leonis* excerpta quædam dederat.

Leo P P. X. Dilecte fili noster, salutem, & Apostolicam benedictionem. Allatus ad nos est Liber a quodam (ll) Vlrico Hutteno, *vel factus vel repertus. sub proœmio quidem ipsius tantum contumeliarum in hanc Sanctam Sedem continens, vt indignissimis & rebus & verbis omnia sint referta. quem qui ad nos attulerunt, quum & alios se eiusdem libros habere dicerent, aliquanto deteriores* (m), *ipsi quidem viri grauissimi & doctissimi grauiter commoti, & ægerrime ferentes, poposcerunt a nobis omnino, vt seueritate omni tantam acerbitatem hominis parum modesti vindicandam putaremus: sed nos ex nostra & Apostolica mansuetudine, etsi rem minime probabamus: tamen quum quæreremus, quinam ille esset, intelleximus, eum Circumspectionis tuæ* familiarem *esse, quin etiam nobis ostensus locus est: impressos hos libros scil. in ciuita-*

(ll) mirum profecto, quin *Hutteni nomen*, si minus ex aliis huius lucubrationibus, ex *præfatione* saltem, qua is *Laur. Vallæ contra effictam & ementitam Constantini donationem libellum*, vt p. 119 prioris Commentar. Partis ostendi, ipsi *Leoni* dedicauit, dudum innotuerit. quod si enim innotuisset, haud scripsisset, puto, *a quodam Vlr. Hutteno.*

(m) horum numero quin *Trias Romana* & *Inspicientes* fuerint, equidem non dubito. foras certe iamtum erant dati Dialogi hi.

virate tua Moguntia *fuisse. quæ res magnam in nobis commouit admirationem: quum nec noster in Circumspectionem tuam perpetuus & singularis amor crederc nos sineret, te volente ita esse factum, & res ipsa pæne cogeret credi, ante oculos tuos, in sede tua, a tuo domestico & familiari non potuisse edi tantum scelus in apertum te ignorante. Itaque quum in eam potius opinionem declinemus, hæc ad tuam scientiam non peruenisse, hortamur Circumspectionem tuam in Domino, & ab eadem, qua te prosequimur beneuolentia, requirimus, vt interponere auctoritatem tuam, efficereque velis, vt, talium compressa temeritate, quæ in hanc Sedem iniquis animis efferuntur, aut ad modestiam se conuertant, aut ea in maledicos seueritatis tuæ indicia edantur, quæ & ipsos ceteros possint a tanta petulantia coercere. Quod Circumspectionis tuæ honori inprimis, ac dignitati, quæ huius sanctæ Sedis nobile membrum est, erit consentaneum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris. die XII Iulii M. D. XX. Pontificatus nostri anno octauo. Ia. Sadoletus.*

Has quidem *Leonis* minas Huttenum ex magna ista spe, quam de summi Mæcenatis sui *Alberti* munificentia concepisse ipsum superiori tempore, alibi com-

monſtraui (n), deturbaſſe denique, intelligemus; quandoquidem ſtudiorum ipſius perfugium, quod Alberti huius liberalitas adhuc præbuerat, ſuſtulerunt denique (o). at minas eiusmodi, hisque acerbiores multo, nec os præcludere, nec calamum de manu eius extorquere vmquam valuiſſe cognoſcemus.

Aeque ingratum, æque odioſum moleſtumque *Leoni* Libellum fuiſſe, quem,

(n) p. 227, P. I. Commentar.

(o) Obiecit quidem deinceps *Eraſmus* Hutteno noſtro, *Albertum e familia eum dimiſiſſe:* verum *Otho Brunfelſius* in ſua *ad Eraſmi Spongiam Reſponſione* comprobatum dedit, *Cardinalem hunc neque eieciſſe Huttenum, neque libenter dimiſiſſe ab ſe. Subtraxit*, ſcribit Brunfelſius, *vltro ſe ex aula, quum iam tantæ eſſent inſidiæ ab Romanenſib. vt tuto verſari non poſſet. quamquam ne hæc quoque eſt prima cauſſa: ſed quoniam volebat arcere illi calamum Cardinalis, ne ſcriberet in Curtiſanos; non paſſus eſt adimere ſibi hanc licentiam. Interea tamen reuocatus eſt per litteras non ſemel, iisque manu Epiſcopi ſcriptis. Solus enim erat, qui audebat libere admonere Epiſcopum.* Sed tamen *Albertum*, iſtis Pontificis minis adactum, *per conciones mandaſſe, idque ſub excommunicationis ſententia, vt nemo Hutteni contra Romanum Pontificem libros neque legeret, neque emeret*, ex *Lutheri* ad *Georg. Spalatinum* epiſtola, T. I, p. 282, b, & 284, b, nouimus.

quem, duobus mensibus interiectis, ex tenebris erutum in lucem protulit Huttenus, facile coniicere licet. Titulus, quo libellum insigniuit, hic est: *De Schismate exstinguendo, & vera Ecclesiastica Libertate adserenda, Epistolæ aliquot, mirum in modum liberæ & veritatis studio strenuæ. Vide Lector, & adficieris* (p). Quum *præfatio*, quam præmisit Huttenus, eleganter prudenterque, vt omnes Viri lucubrationes, sit scripta, ac tantam animi præ-

 sen-

(p) locus, vbi impressus est liber, indicatus non est. *Sex* omnino sunt *Epistolæ*, quas *Pragensis*, *Oxoniensis*, & *Parisiensis*, *Academiæ* inter se, ad *Romanos*, ad *Vrbanum P. Ro.* & ad *VVenceslaum Imp.* miserunt, & hic ad *vniuersum Christianum Populum* dedit. *Qui Epistolas has legerit*, iudice *Matth. Flacio*, *Testium Veritatis Catalogi* lib. XVIII, p. m. 1801, *inueniet, multa tunc habita pro Catholicis, quæ iam tamquam Lutherana & prorsus hæretica damnantur, & ipsis inferis deuouentur.* *Conr. Gesnerus* ipsum *Huttenum* Epistolarum *auctorem* habuisse videtur: scribit saltem in *Bibliotheca* sua: *Eiusdem* (Hutteni) *Epistolæ aliquot de Schismate exstinguendo & vera Ecclesiæ Libertate adserenda impressæ sunt.* Gesnerum vt in reliquis omnibus, quæ ad Hutteni scripta attinet, ita in errore etiam hoc secutus est *Ian. Iac. Boissartus* P. II, *Icon. ill. Viror. Pallauicinus* quoque *Huttenum auctorem Epistolarum* esse, tradidit. vid. *Balij Dictionarium.*

monſtraui (n), deturbaſſe denique, intelligemus; quandoquidem ſtudiorum ipſius perfugium, quod Alberti huius liberalitas adhuc præbuerat, ſuſtulerunt denique (o). at minas eiusmodi, hisque acerbiores multo, nec os præcludere, nec calamum de manu eius extorquere vmquam valuiſſe cognoſcemus.

Aeque ingratum, æque odioſum moleſtumque *Leoni* Libellum fuiſſe, quem,

(n) p. 227, P. I. Commentar.

(o) Obiecit quidem deinceps *Eraſmus* Hutteno noſtro, *Albertum e familia eum dimiſiſſe:* verum *Otho Brunfelſius* in ſua *ad Eraſmi Spongiam Reſponſione* comprobatum dedit, *Cardinalem hunc neque eieciſſe Huttenum, neque libenter dimiſiſſe ab ſe. Subtraxit*, ſcribit Brunfelſius, *vltro ſe ex aula, quum iam tantæ eſſent inſidiæ ab Romanenſib. vt tuto verſari non poſſet. quamquam ne hæc quoque eſt prima cauſſa: ſed quoniam volebat arcere illi calamum Cardinalis, ne ſcriberet in Curtiſanos; non paſſus eſt adimere ſibi hanc licentiam. Interea tamen reuocatus eſt per litteras non ſemel, iisque manu Epiſcopi ſcriptis. Solus enim erat, qui audebat libere admonere Epiſcopum.* Sed tamen *Albertum*, iſtis Pontificis minis adactum, *per conciones mandaſſe, idque ſub excommunicationis ſententia, vt nemo Hutteni contra Romanum Pontificem libros neque legeret, neque emeret*, ex *Lutheri* ad *Georg. Spalatinum* epiſtola, T. I, p. 282, b, & 284, b, nouimus.

quem, duobus mensibus interiectis, ex tenebris erutum in lucem protulit Huttenus, facile coniicere licet. Titulus, quo libellum insigniuit, hic est: *De Schismate exstinguendo, & vera Ecclesiastica Libertate adserenda, Epistolæ aliquot, mirum in modum liberæ & veritatis studio strenuæ. Vide Lector, & adficieris* (p). Quum *præfatio*, quam præmisit Huttenus, eleganter prudenterque, vt omnes Viri lucubrationes, sit scripta, ac tantam animi præ-

(p) locus, vbi impressus est liber, indicatus non est. *Sex* omnino sunt *Epistolæ*, quas *Pragensis*, *Oxoniensis*, & *Parisiensis*, *Academiæ* inter se, ad *Romanos*, ad *Vrbanum P. Ro.* & ad *VVenceslaum Imp.* miserunt, & hic ad *vniuersum Christianum Populum* dedit. *Qui Epistolas has legerit*, iudice *Matth. Flacio*, *Testium Veritatis Catalogi* lib. XVIII, p. m. 1801, *inueniet, multa tunc habita pro Catholicis, quæ iam tamquam Lutherana & prorsus hæretica damnantur, & ipsis inferis deuouentur.* *Conr. Gesnerus* ipsum *Huttenum* Epistolarum *auctorem* habuisse videtur: scribit saltem in *Bibliotheca* sua: *Eiusdem* (Hutteni) *Epistolæ aliquot de Schismate exstinguendo & vera Ecclesiæ Libertate adserenda impressæ sunt.* Gesnerum vt in reliquis omnibus, quæ ad Hutteni scripta attinet, ita in errore etiam hoc secutus est *Ian. Iac. Boissartus* P. II, *Icon. ill. viror.* *Pallauicinus* quoque *Huttenum auctorem Epistolarum* esse, tradidit. vid. *Balii Dictionarium*.

ſentiam præ ſe ferat, vt expreſſa prorſus auctoris imago haberi queat; non poſſum iterum, quin integram eam adſcribam. *Hulderichus de Hutten liberis in Germania omnibus ſalutem. Adbuc nihil ceſſatum nobis eſt ab eo die, quo ſemel conſtrictam diu iam, & pæne ſuffocatam nationis huius libertatem, quantum in nobis eſſet, ſoluere, & reſtaurare adgreſſi ſumus: dum vel quærimus, & inueſtigamus, quid vbique abſtruſum habeatur antiquitatis, quod huic noſtro commodare poſſit inſtituto; vel ſcribimus ipſi, & in lucem edimus, quæ mens conſcia veri occulta diutius eſſe non ſuſtinet. Quo ſtudio quum ſecundo proxime Rheno nauigans ad Treuerenſe municipium* Bopardam *adplicuiſſem, conueniſſemque* Chriſtophorum Eſchenfelder, *qui Telonen iſtic agit, atque is, qua beneuolentia bonos & litteratos omnes proſequitur, domum me ſuam adduxiſſet, hoſpitium exhibens; vt paullo ante* Eraſmo *fecerat eximie liberaliter, deinde libros, & ſupellectilem ordine, vt fit, oſtenderet, alia quidem vidi ſatis lauta omnia, ſed inter libros inueni* vetulum *quemdam*, epiſtolas aliquot continentem, *quem dum inſpicio primum, deinde lego etiam, rem cognoſco oblatam mihi minime contemnendam, itaque*

taque perlegere adgressus sum. Quod ille conspicatus admodum cupide agere me, volens, credo, imitari Homericum illum Nestorem παρ ξείνια θῆκεν., & libellum dono dedit, postridianæ nauigationis molestiam eius lectione iubens leuare me. En vobis consequenter hospitalitium amici munus, o liberi! Quid enim potest iucunde adficere Huttenum, quo is frui solus velit, nec bonis communicare statim omnibus? aut quid est iuuando publico in Germania bono idoneum, quod latere is pati debeat? Atque vtinam sic multa inueniam talia, vt publicandi ea mihi summa quædam voluptas est. Non meretur hic quidem cum iis, quos in Fuldensi nuper bibliotheca blattis, & cariei inueniens eripui, Plinio, Solino, Quintiliano, Marcello Medico, & aliis quibusdam comparari, tamen si quem res ipsa potius, quam oratio adficit, nonnihil adferet publica exspectatione dignum. Nam ego sermonis inconcinnitatem sæculi illius infelicitati condono. materiam vero, quæ inibi tractatur, vel ob id, credo, vtilem fore, quod inde perdiscent nostrates Academiæ, quid quo consilio iudicare conueniat; vbi habebunt, quæ imitentur, maiorum suorum exempla: & quod orbis cognoscet, quam non cœperit nuper contra intolerabilem Pontificum auaritiam,

tiam, ac minime ferendum impositum ſibi a Romanis iſtis iugum reclamare hæc natio. *Voluerunt enim non in re vana, & momenti admodum nullius, idque ſic inuidioſe, vt nunc fit, locare operam hanc ſuperiores theologi; in rebus neceſſariis, & negotiis ſua profeſſione dignis cum periculo etiam deſudandum ſibi arbitrati ſunt. Et tunc conſcientia duce ferebantur, hodie meros palpones, meros adſentatores, inuenimus theologos: qui, ſi quando officium facere ſuum volunt, aut in nugis tragœdias mouent, aut vt potentibus iſtis gratificentur, bonis hominibus inuidiam conciliant, ſæpe periculum moliuntur, aliquando etiam perniciem arceſſunt. Quos non præſtabat fodere, aut quiduis aliud agere, quam ſic præpoſtere ſtudium theologiæ tractare? Nam quid indignum magis committi poteſt, quam quod ſic temere, ſic inconſiderate, & petulanter, ac malitioſe, nulloque cum iudicio bonorum virorum ſcripta ſemel aut iterum tractata iam vidimus ab iis, qui non errore ſeducti, ſed liuore, & malitia adducti, ea damnauerunt; quæ ſi conſcientiam vniuſcuiuſque appelles, primo adſerent, ac probabunt loco? Et illi quidem ſtrenue actum ab ſe videri voluerunt, quum in fauorem Romani Pontificis, aut eius hic legatorum*

torum gratiam, iudicii sui aculeos exercent in eos, qui euangelicæ veritatis testimonio nixi, superstitionem conati essent a fidelium mentibus auellere, & prætentum veræ religioni fucum tollere. Contra iniquos verò Curtisanos, sceleratos Simoniacos, ac improbos indulgentiarum venditores, qui vel publice concionatus sit, vel domi scriptum aliquid foras emiserit, vel in senatu libere consuluerit, ex hoc theologorum genere inuentus adhuc nemo est. Atqui aduersum pestilentissimas complures nonnullorum Pontificum bullas, contra exactionum hic, & dispoliationum genera plane infinita, contra aut istas Romæ sacerdotiorum nundinationes, aut detestabilem hic etiam ecclesiastici ordinis luxuriam, consulere, & decernere oportebat hoc tempore; non, si quis optima promoueret studia, & reuiuiscentibus adminiculum ferret litteris, in eum inquisitionis istiusmodi auctoritatem obuertere, & hæreseos continuo piaculum imputare. Quod facessant oro, ne vel hoc nomine incipiat male audire hæc natio. Nam si pudendum est veri ignorantia labi, quam non conuenit, eo cognito, vltro falsum adserere? Quin potius Christiana iuuet modestia in docenda veritate vti, non furore, & amentia in adfligenda æquitate ferri: friuola sunt, & mox peritura, quæ

donant ii; quibus tanto cum ſcelere qui adulantur, æterna ſe, & incomparabili fraudant remuneratione. Præterea breui duraturam hanc illorum tyrannidem video, &, niſi omnia me fallant, paullo poſt ablatum iri prædico. Poſita eſt iam enim, poſita, *o Chriſte*, ad radicem arborum ſecuris eſt, & exſcindetur omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, ac purgabitur vinea Domini. *Hoc iubeo non ſperare iam vos, ſed ſpectare mox iubebo. Interim confidite, viri Germani, ac mutuo vos excitate. Nec imperitos habetis, nec imbecilles ad vindicandam libertatem duces. Tantum fortes præbete vos, & imperterritos, nec in mediis adeo congreſſibus procumbite. Perrumpendum eſt enim, perrumpendum tandem, præſertim hæ quum ſint vires, hæc conſcientia, tales occaſiones, tanta cauſſæ æquitas, & quum ad ſummum iam conſcenderit tyrannidis huius graſſatura! Hoc facite, & valete. Inter equitandum; VI Calen. Iun. Anno M. D. XX.*

Viue Libertas!

Iacta eſt alea.

Peregre paucis oppido diebus poſt, quam hæc ſcripſit, *Moguntiam* rediiſſe Huttenum, ex Epiſtola, quam ad beatum

tum *Lutherum* tum dedit, videre eſt. hunc enim in communionem vindicandæ veritatis libertatisque adiungere ſibi non verebatur amplius; poſtquam *Albertus* Archiep. Pontificis voluntati obtemperaturus e complexu ſuo eum dimittere tum cœpit. adiungere certe *Lutherum* ſibi prius auſum noſtrum non eſſe, propter ipſum hunc *Albertum*, qui perſuaſum ſibi habuerat, negotium ad ſe quoque pertinere, ſupra ex Epiſtola, quam primus in lucem producere ego mihi videor, nón obſcure cognouimus. Quæ quum ita ſint, omnium ſine dubio *prima* eſt *Epiſtola* hæc, id quod vel ex ipſa facile, vt opinor, intelligitur, quam Huttenus *ad Lutherum* miſit. quum multa, quæ ad Fata ipſius pernoſcenda pertinent, nos edoceat; integram eam apponam. Non enim ſolum apparet ex ea, in *Brabantiam* paullo poſt abiiſſe eum, vt *Caroli Imp.* ſiue *Ferdinandi* potius, conueniendi copia ſibi fieret; ſed etiam *Io. Geneſium Sepuluedam* aperte mentitum eſſe, vbi ſcribere haud erubuit (q), *Huttenum, quum in Italia ceteris flagitiis homicidium ad ther-*

(q) lib. I de *Fato* & *Libero arbitrio* p. 543, Op.

thermas Viterbienses addidisset, Italia excedere coactum, ad partes Lutheri aduolasse. Quot verba, tot mendacia. qualia, quæso, commiserat antea Huttenus *flagitia?* nulla puto: Musas Martemque ita semper coluerat, vt Imperator Maximilianus, Principes, omnesque summi viri, tantum ipsi impertirent laudis, quantum & litteratissimo & forti debebatur Equiti. quod ad *homicidium*, quod Hutteno obiicit Sepulueda, attinet; quum quinque Galli, robore corporum ac ferocitate animorum horribiles, aggressi eum essent, vi vim illatam defendit (r). *Italia excedere coactum esse* Huttenum, nusquam legere me memini: id potius legi, Italos, vel post fortissime istam pugnatam ab ipso pugnam, suauissime complecti hunc perseuerasse, quem quum moribus, tum litteris ornatissimum virum cognouerant (s). *Ad partes vero Lutheri* continuo *aduolasse* nostrum, nemo mihi vmquam probauerit. ipsa hæc ad Lutherum scripta Epistola, quam integram addendam decreui, alia prorsus nos docet. Vi contra vim decertauit Hut-

(r) vid. P. I Commentar. p. 109. (s) ibid. p. 111.

Huttenus anno sæculi XVI: ab Lutheri partibus palam stare is cœpit anno XX. si id aduolare est, nescio profecto, quid lente, caute atque considerate rem adgredi tum sit. Non minus igitur *Sepulveda* lectoribus imposuit, quam *Eccius*, qui in Romani Pontificis gratiam finxerat, *Huttenum cum Luthero ante annum modo commemoratum XX conspirasse*; quam *Antonius Varillas*, qui adfirmauit (f), *Huttenum Lutheri partibus studere cœpisse quinto ante mortem suam anno*; ipse se refutans, scribendo simul, *altero a Comitiis Augustæ Vindelicorum celebratis anno id euenisse*: enimuero hoc vere, illud falso omnino dictum est. quod si annos accurate computasset Varillasius, *tertio* demum ante obitum suum *anno* palam a Lutheri partibus stare cœpisse nostrum, reperisset. Equidem se idem, quod Lutherus senserit, prius sensisse, id est, de veritate ac libertate a tyrannide, quæ & Ecclesiam & Rempubl. constrictam adhuc tenuerat, adserenda prius, quam Lutherum, se cogitasse, ipse Huttenus vere omnino prædi-

(f) apud cl. *Belium*, in *Dictionario* eius, Artic. *Hutten* (K).

dicauit (ff). nam *viri boni esse* numquam non censuit, *per veritatis confessionem, aequitatis vindictam, vbique & semper prodesse patriae, Christiani vero, pro veritate etiam mori, si hoc res postulet.* Idem iste *Varillasius* est, qui posteris verba itidem dedit, vbi memoriae prodidit (t); *Huttenum & reliquos Nobiles ad partes Lutheri ideo transiisse, vt territoria a maioribus suis Ecclesiae datas recuperarent.* Cuius figmenta eiusmodi ex Hutteni, quam prolaturus sum, ad Lutherum Epistola facile redargui poterunt. Nec vero *Libelli de Natura & Vsu Sacramentorum auctor* (tt) ex hac refelli non poterit: qui statim in exordio expli-

(ff) in *Expostulatione cum Erasmo* f, 2, a. quid? quod *Io. Cochlaeus* acerrimus Lutheri hostis, libere fassus est, *Huttenum multa contra vexationes, quas Germania a Pontificibus sibi impositas sustulerit, prius scripsisse, quam Lutheri nomen sermonibus hominum sit celebratum.* vid. cl. *Baelius* c. l. (E). eo referenda in primis est *verbosa Hutteni ad Leonem P. M. praefatio, quam Vallae libello praemisit.* de qua vid. I. Commentarii Pars, p. 119.

(t) apud ill. *Seckendorf, Lutheran.* L. I, § LXXXII, Add. III (b), vbi solide mendacem se praestitisse *Varillasium*, aperte probauit illustris auctor.

(tt) quem *Ludou. Vergerius*, qui *an.* 1550, 8 libellum edidit, *Austriacae ditionis sacris litteris addictissimum* nominat.

plicatis quatuor actionum generibus ex Aristotele, quod differant hisce caussis: Φύσει, δόξα, βουλήσει καὶ προαιρέσει, adfirmare sustinuit, *Huttenum nostrum Lutheranæ caussæ socium se adiunxisse δόξα, persuasione, & inconsulta imitatione.* crebro enim in ore eum habuisse temerariam hanc vocem: *Se malle cum Luthero errare, quam cum Pontificiis recte sentire.* Verum ipsum Huttenum ad beatum *Lutherum* scribentem, & maledicta eiusmodi, in mortuum ipsum congesta, redarguentem simul, audiamus. *Viue Libertas! Si quod ad ea, quæ magno istic animo paras, vt video, impedimentum tibi intercedit, necessario & amanter doleo. Nos hic promonimus nonnihil. Christus adsit! Christus iuuet! quandoquidem eius stata adserimus: eius, obscuratam Pontificiarum caligine constitutionum, in lucem reducimus doctrinam:* tu felicius, ego pro viribus. *Vtinam aut omnes hæc sentiant: aut se vltro isti agnoscant, ac in viam redeant.* Ferunt excommunicatum te. *Quantus, o Luthere, quantus es, si hoc verum est! De te enim dicent pii omnes;* captabant animam iusti, & sanguinem innocentem condemnabant, sed reddet illis iniquitatem ipso-

ipſorum: & in malitia eorum diſperdet eos Dominus Deus noſter. *Hæc nobis ſpes, hæc eſto fides! Redit ab Vrbe* Eccius, *beneficiis a Pontifice & pecunia, quod aiunt, auctus. Quid tum?* Laudatur in deſideriis ſuis peccator: nos in veritate ſua dirigat Deus. *atque igitur* oderimus eccleſiam malignantium, & cum impiis non ſedebimus. *Circumſpice tamen & oculos pariter ac animum habe ad illos intentum. Vides, ſi nunc cadas, quæ ſit publico iactura. Nam, ad te quod pertinet, eo eſſe te animo ſcio, vt malis ſic mori, quam vtcunque viuere. Mihi quoque inſidiæ ſunt: cauebo, quantum licebit. Si vi ingruent, vires erunt aduerſum, non tantum pares, ſed, vt ſpero, ſuperiores etiam. Vtinam me contemnant.* Eccius me *detulit*, vt tecum habentem: *in quo falſus non eſt. Semper enim in iis, quæ intellexi, tecum ſenſi: at nulla fuit prius conſuetudo nobis. Nam, quod idem dixit*, conſpiraſſe prius nos, *hoc mentitus eſt in gratiam Romani epiſcopi. O hominem impudenter malum! Sed videndum eſt, vt illi reddatur, quod meretur. Tu confirmare & robuſtus eſto, nec vacilla! Sed quid moneo, vbi opus non eſt? Me habes* adſtipulatorem, in omnes etiam euentus. *Itaque*

taque consilia omnia tua audebis posthac credere mihi. Vindicemus communem libertatem! *liberemus* oppressam diu iam patriam! *Deum habemus in partibus.* Quod si Deus pro nobis, quis contra nos? *Proscriderunt te* Colonienses *&* Louanienses. *Hæc illa sunt* diabolica aduersus veritatem conciliabula. *Sed perrumpemus, perrumpemus, adiuuante Christo, strenue! Illos vero decuit vere potius, vbi negotium incideret, & libere iudicare. Quo nomine monui eos quadam in* præfatione (u), *quam leges. Mittet eam* Capito. *Hodie ad* Ferdinandum *abeo. Quicquid ibi potero, nostro bono, non cessabo.* Iubet ad se venire N. te, si tutus istic satis non sis, *habiturus pro tua dignitate liberaliter, & aduersus omnis generis inimicos defensurus strenue. Hoc ter aut quater iussit, ad te scriberem (v). In* Brabantia *inuenient me*

(u) quin *præfationem*, quam libello de *Vnitate Ecclesiæ conseruanda* præfixit, intelligat, ego quidem non dubito.

(v) *Franciscum de Sickingen* innui, qui talia iusserit, per se quilibet coniiciet, spero. Nec vero hic solum, sed quam plurimi etiam *Nobiles* Lutheri caussa magnopere voluerunt. De *Silu. de Schaumberg* ipse *Lutherus* Lib. I Epist. p. 276 scribit: *Dedit ad me*

tuæ litteræ: istuc scribe, & amanter vale & in Christo. Moguntii *raptim II Nonas Iunii, anno M. D. XX.* Melanchthonem *saluta & Facchum, ac bonos istic omnes;* iterumque vale (x).

In *Brabantiam* quum venisset, in *Caroli Imp. aula* dies aliquot versatus, a necessariis, quos ibi habebat, monitus est, *vt, si seruatum se vellet, statim discederet, capiti enim ipsius perniciem imminere;* quan-

me litteras Siluester de Schauuenberg Franciæ nobilis, rogans, ne in Bohemiam aut alio, sed ad se confugiam; si diræ Romanenses præualuerint: pollicitus tutelam eximiam centenorum nobilium Equitum Franciæ. Itaque contemptus est furor Romanus tandem & Germanis. conf. ill. *Seckendorf. Lutheran.* I, § LXXI. Inter Germaniæ Nobiles Luthero amicissimos primo loco memorandus videtur *Hartmuthus à Croneberg, Sickingii gener.* cuius mentio in *Lutheri* epistolis ac reliquis scriptis quam sæpissime fit: & cuius præclara in Reformationis negotium adiuuandum merita laudatus modo *Seckendorf* passim in Commentario suo de *Lutheranismo* persequitur.

(x) separatim initio *VVitteberga* in 4 edita est hæc Epistola, T. II *Op. Lat. Lutheri VVitteb.* ed. p. 48, deinceps inserta, sed mutila: quum *M. Adamus* eam hinc deprompsit, fieri aliter non potuit, quam vt mutilam itidem eam *Vitæ Hutteni* ab se confectæ adiecerit. *Germanice versa* occurrit ea T. I *Luther. Op. Altenb.* ed. p. 444.

quandoquidem subornati essent, qui *siue ferro, siue veneno fieri id posset, de medio ipsum tollerent.* Aula in tam præsenti discrimine relicta, non solum certior ab aliis factus hic est, *Leonem Pontificem* & a *Carolo*, & a *Principibus* quibusdam litteris contendisse, horumque nonnullis imperasse, vt *vinctum ipsum Romam mitterent*, verum etiam ab eodem Pontifice *oratori*, quem in Germaniam tum miserat, demandatum esse, comperit, vt *vbivbi in Huttenum incideret, comprehensum hunc adgrederetur.* Qua de *atroci iniuria* grauiter in *Epistolis*, quas ad *Carolum Imperatorem*, ad *Fridericum Saxoniæ*, & *Albertum Moguntinum Electorem*, ad *omnes omnis ordinis at status in Germania Principes, nobilitatem ac plebeios* & ad *Sebastianum de Rotenhan*, dedit, conquestus est (y). *Epistolæ* hæ quum

E 2 non

(y) quæ ita inscriptæ, nescio quo loco, hic enim indicatus non est, in 4, prodierunt: *Hoc in libello hæc continentur, Vlrichi de Hutten, Equitis Germani, ad Carolum Imperatorem, aduersus intentatam sibi a Romanistis vim & iniuriam, Conquestio. Eiusdem alia ad Principes ac viros Germaniæ, de eadem re Conquestio. Eiusdem ad Albertum Brandenburgens. & Friderichum Saxonum Ducem, Principes Ele-*

non modo locupletiſſimi teſtes ſint, Huttenum merito ſuo ab *Eraſino Latinæ linguæ delicium* appellatum eſſe: quippe quæ eleganter accurateque ſunt conſcriptæ: ſed quum *omnium* omnino auctoris *Lucubrationum*, quas vsque ad id tempus ediderat, *vniuerſum argumentum ſententiam*que contineant: integras illo, quo ipſe Huttenus poſteritati eas impertiuit, ordine tecum communicabo, optime Lector; promisſi, quod priore Commentarii huius mei Parte feci, etiamnum memor. Huic videlicet etiam Parti integrum quoddam Hutteniani ingenii monimentum adiecturum me fore, polliceri me ibi, memineris. quas in præſenti in lucem de integro produco *Epiſtolas*, tales eſſe exiſtimo, ex quibus de *auctoris animi robore* & *acerrimis conſiliis* eius liquido poſſis iudicare.

CAROLO Romanorum, & Hiſpaniarum Regi Vlrichus de Hutten, Eques Germanus, S.

Etſi multa eſſe video, quæ te occupatum habent hoc

Electores, *aliaque ad alios Epiſtolæ*. *IACTA EST ALEA*. *Cyr. Spangenberg* in *Adelſpiegel*, P. II, Lib. VI, p. 47, a, nuncupat Epiſtolas has *V ſchœne chriſtliche Brieffe*.

hoc tempore, ardua illa & longe maxima, Princeps CAROLE, Rex inuictissime, tamen, nullum esse importunum compellandi te tempus arbitratus sum, quo eodem cognitum sit, accusationem intendere aduersarios apud te mihi. Quum igitur intellexissem paucos ante dies, quemdam istic Pontificis oratorem, *vehementer conari hoc, vt tu mihi succenseas, statim has fortissimo viro, tuo consiliario, & a bellicis ministro, amico meo* Francisco de Sichingen, *quum ad te proficisceretur iam, perferendas tradidi. Accusatum me huc mittitur ab Episcopo Romano. atque hoc tu solum fieri putabas. Sed ego, quod monitus sum nuper, itidem certiorem faciam: subornatos iam multo ante ab istis, qui exstinguendo mihi, siue* ferro *id, siue* veneno *parari posset, operam darent: idque in tua* aula, *vbi tunc negotium mihi erat. Neque hoc patiar ignorare te, quod certum habeo, imperatum a* Leone X *quibusdam hic Principibus, vt* comprehensum me, vinctum Romam mittant. *Hæc instituta ante sunt, quam apud te reus fierem, & tamen qui hoc sunt conati, accusationi adhuc locum esse volunt. Quod per maiestatem te tuam obtestor, tuamque imploro fidem, ne patiare tantum impetrari abs te, quantum audent petere improbi. Petunt au-*

tem, vt per te liceat vinctum *abducere* Equitem Germanum, *eius corporis, cui tu caput impositus es, membrum. Quod ob malefactum? Certe profecto nullum, ipsis etiam illis, qui petunt, testibus. At qua de caussa? Quia* Christianam adserui veritatem, nouitias Pontificum detestatus fabulas. *Quia ad* pristinam, *& huic nationi tuoque Imperio debitam, respexi* libertatem, exrernum *detrectans* iugum. *Nam quale hoc peccatum est, quod hinc aliquid illorum decessit lucro? Si nescis enim, hoc in primis stomacho fuit ipsis, quod passus non sum,* tantum maiestati tuæ decedere, quantum illorum ad se trahit cupiditas; *& quia indignum duxi nostra virtute,* nobis cottidie depilationibus patere hanc patriam, nouæque semper expositam esse prædæ: *eique sui* iuris *monstrator fui, suæ* dignitatis *monitor. Quod ipsum si scelus est, tamen, quia tuus sum, ad* alienum *vocari* supplicium, *quia te Principem agnosco, ad* externam *rapi* pœnam *non debeo. Nisi carceres hic tu non habes, & gladios non habes, aut laqueos: quibus sontes punias. Sed habere te non ignorant,* sibi licere omnia volunt. *Quod videre te oportet, cauendum quid sit: neve plus nimio in* ius *concedi*

cedi tuum *tibi patiaris: non dico, ſi hoc dederis (nam daturum nullus eſt metus, ne ſuſpicio quidem) ſed patienter ſi orari etiam abs te huiusmodi tuleris: Atque hoc ſollicite adcurandum tibi exiſtimo, quia omnis in te vno poſita Germania eſt, ne, quos* ornare *etiam debebas,* non tueri *eos videaris, neve, quos officii erat tui* euehere, deprimi *eos ſinas. Vbi ſi tempus ſpectandum non eſſet,* exempli rationem habere te conueniebat. *Quo tandem deuenient enim res Germanæ, quæ reliqua* libertatis *nobis* ſpes, *aliis noſtræ* virtutis opinio *erit, ſi neque* tuo inſeruire honori *licet, neque* accommodare patriæ *tutum eſt? Denique vbi* religio, *vbi* pietas, *ſi* quæ Chriſtus docuit, *meminiſſe non oportet, atque* immortalibus illius inſtitutis, humanas *præferre* traditiunculas *cogemur? Vtinam videas, qui ſint hic paſſim contra hanc* vim gemitus, *quæ contra* iniquitatem *hanc* ſuſpiria: *quæ, vt hæc vindices,* tui exſpectatio. *Tandem videtur enim* ius & fas omne *ab his deleri, omnia omnibus eripi. Cuius rei, quæ mea eſt fortuna,* in me, *ſi vsquam alibi,* documentum *dederunt. Non eſt hæc magna atrocitas enim, inauditum, indefenſum, indicta cauſſa, velle* vincire, *velle* torquere,

velle occidere, *præsertim iudicium exspectantem, & cognitionem appetentem? Fateor, hoc me scriptis conatum efficere, vt hic* vertatur rerum orbis, *hic* emendetur ſtatus. *Debuit ea res magni eſſe periculi? immo vllius eſſe debuit? Neque nego,* promptus *fui, ſed* opportune: audax, *ſed* neceſſario. *Et, vt, qua fiducia ſit, videas, ne adhuc quidem clamare, deſino, contra* hoſtes veritatis, *contra* publicæ libertatis oppreſſores, *contra* tuæ dignitatis contemptores. *Neque vmquam deſinam, niſi tu nolueris, conſultum* tibi, *proſpectum* patriæ. *Sed voles. & ab eo abhorrebis multum, quod te iſti facere nollent, ſi* bonos *ferre hic* Imperatores *poſſent. Tu ſis tamen, qualem te eſſe decet: ne iſtis quales cupiunt eſſe liceat. Quod tibi conſulo,* officium *eſt: quod amo patriam,* pietas. *Mea nulla priuata res eſt, nulla propria cauſſa, nullum peculiare negotium. Nam quid facerent iſti, quam inſolenter triumpharent, ſi quid eorum omnium, quæ tractaui, ad me priuatim pertineret? Perſequuntur me tamen, & perditum volunt: eoque ſibi auctoritatem etiam depoſcunt tuam. Ego contra, primum* conſcientia me tueor: *deinde* in tua æquitate fiduciam pono. *Libere ſcriptis libris,* veritati teſtimo-

monium perhibui: *ex* officio *tibi, ex* pie-tate *consultum volui. Firmissimis aduersus* pontificias nugas *argumentis contendi. institutas aduersus tuum* Imperium, communem libertatem, *machinas, conuellere sum conatus. Vbi sunt præmia bene meritis, ne quis me pœnam delicto timere putet? Sed quid mirum, quod in gratiam me bonorum ponere debuit, hoc in malorum offensionem coniecisse? Tu vero aures quidem dare illis potes, adsentire vero non debes: nisi dubitas, si hoc adsequantur, facturos teterrime posthac omnia. Atqui facient. facient, ita me Christus amet. Numquam enim intra aliquos fines illorum stetit cupiditas: numquam modum habuit: nec mensuram fert. Proinde multum refert, in præsenti quid iudices, me præsertim haud dum audito, sed cupiente apud te iudicem, quam primum voles, caussam hanc dicere. Quia* servatam volui patriam, *ipse* perdar. *Quid facies parricidis, si hoc ego merui? Quia* solvere omnium vincula sum adgressus, *ipse* vinciar. *Quid feret quilibet latro, si de me hoc statues? Meam famam ego perdam, quia* consultum tuæ laudi volui: *falsus dicar, quia* verum docui: *occidar, quia* ad vitam hortatus sum. *Quo rapias omnes*

 per-

periuros, maleficos, impostores, sacrilegos, sicarios, hæreticos, & idololatras, si de his factis hanc pœnam sumes? En Christi vicarios! Petri successores! *Tu vero,* Carole Princeps, *ne sine hanc perpetuos Imperii huius hostes palmam ex me ferre, hoc innocentiæ meæ spolio frui, hanc triumphare victoriam improbos. Qui nisi ex sua malitia tuam æstimarent indolem, ea non peterent, quæ tu, si bonus es, immo, quia optimus es, tam non dabis, quam ipsi, nisi pessimi essent, petere non vellent: abs te præsertim, tali Principe, his maioribus, hoc genere edito. Petunt tamen, quia moderari suas cupiditates nesciunt. At non dabis tu: quia obliuisci æquitatis non sustines. Scio enim, & certum habeo, quæ tua est probitas, ab hac turpitudine summe te abhorrere: nec passurum,* seruitutem metere *eum, qui* seuit libertatem: *& qui* commune *hic* soluere iugum adgressus est, *eum* catenas ferre, *te Principe, non sines. Si essem alienus, tamen humanitatis hoc dictaret ratio, vt cura esset tibi innocentiæ, vt subuenires adflicto, liberares circumuentum, leuares oppressum. Nunc is sum, quem nisi tu seruas, qualis es, dici non potes.* Imperator *es tu, id est,* publicæ libertatis conseruator. *At esse qui potes, donec licebit*

Roma-

Romano Episcopo, liberos hic homines & nobiles, vinctos Romam abducere? Sed de te nulla nobis talis suspicio residet, nedum opinio est. Illos vero quid non ausuros apud te putandum est post, quam hoc semel tentare adgressi sunt. Prius mirifice Imperii huius maiestatem contempserunt: varie ac multis modis in maiorum tuorum iura concesserunt. Imperio multa vi, multa fraude, multa violentis pactionibus per omne nefas ademerunt. Ipsis Imperatoribus osculandos pedes per contemptum prabuerunt. nec esse diu iam per eos potuit Imperator, qui non in seruitutem se Romano Pontifici, interposito iureiurando, addiceret. Constitutiones ad suum libitum, ex lucri sui modo proposuerunt: quibus omnem hic libertatem obterebant: omnia nostra potestatis sua nexibus constringebant: qua maiorum nostrorum liberalitate ecclesiis donata sunt, auarissime ad se pertraxerunt. Episcopos in Germania esse noluerunt, quibus non pallia magno vendidissent ipsi: omnes apud nos prafecturas sacerdotales, magno suo commodo locandas sibi desumpserunt. primum aliquando, deinde quotannis iterum, iam tandem cottidie nouas indulgentiarum merces, *venales huc adferunt. Tum* absolutiones, dispensationes, relaxationes, & infinitas

id

id genus bullas, *fraudulentissimis apud vulgum vsi persuasionibus, in magna de se hominum opinione, vendiderunt: atque his modis & aliis compluribus, neque enim numerus est, tantum pecuniæ, quantum dici non potest, diu iam trans Alpes hinc deportarunt. Præterea multo sæpe hic, & in his principes viros, anathematis inflictu perculerunt. quibusdam venenum miscuerunt. alios per speciem amicitiæ hostibus nefarie prodiderunt. Semper discordias inter Principes nostros excitarunt & aluerunt, pulcherrimis sæpe rebus splendidissimis facinoribus magno totius reipubl. Christianæ incommodo ac publico malo impedimentum attulerunt. Hæc omnia, inquam, & multo adhuc plura, prius ausi sunt: vnum, vt videre videor, supererat,* vinculis suis obnoxios habere Germanos: *vt, quos velint constrictos, hinc abripiant. ecce* oratores Decimi Leonis, *qui hoc, te Principe, experiantur! qua confidentia dic, oro? Nonne eadem, qua te Imperatorem legi vetuerunt anno præterito, non idoneum ferentes, quum alias ob caussas, tum præcipue, quod vel vnum satis ad te impediendum arbitrati sunt, quia regnum Neapolitanum haberes tu: quum hoc pulchra sua quædam* constitutio *caueat,* ne quis Neapolitanus Rex in Imperatorem

rem Ro. deligatur. *Hæc quum fieri ab illis magno nostro cum* detrimento, *non sine maxima etiam* ſtultitiæ *nostræ apud exteros* opinione *viderem, nec me propter acerbitatem doloris eius continere possem*, exclamaui, vociferatus ſum, ſcripſi, publicaui. *optima* conſcientia, *optima* fide, homines ad malorum ſenſum excitari conatus ſum. *multos* nobiles, & potentes commoui. *Atque* hinc manauit *hæc mihi* offenſa, *quam sic illi acceperunt, vt deposituri nisi fracti, quod te vindice fieri & potest & debet, non videantur. Age igitur*, inuictiſſime Carole, *nos respice, tuam* dignitatem, *tuamque tuere* exiſtimationem. *Muniatur hæc abs te* ad tuendam libertatem via. *Hic* remergenti Chriſtianæ veritati, *per te pateſiat* aditus. *Quis audebit verum dicere enim, aut libere tibi consulere quis audebit, si eo nomine sic opprimor ego? Habes* opes, *vt possis:* copias, *vt valeas:* cauſſam, *vt liceat:* neceſſitatem, *vt debeas. Insuper veram tibi & solidam propositam vides* gloriam, *si efficias:* imbecillitatis opinionem, *si non audeas. Neque debes tu, proposita ingenti gloria, tantillam fugere inuidiam: aut vilis offensæ metu, a tanta absterreri laude. Scripsi*, tuum hos commodum interuer-

tere:

tere: tuas exhaurire facultates: tuam minuere poteſtatem: tuas vires attenuare. *Neque non eſt hoc verum. Nihilominus hæc in me* procella, *hoc* fulmen *coniicitur. Neque dubium eſt, quin ſtudioſiſſime hoc agant improbi Curtiſani. Sed in te ſitum eſt, qua vi tuos impeti ſuſtinere velis. Poteram, qui iniuria oppugnor, iure repugnare: cui immerenti vis ſit, defenſionem recte experiri. Neque id non permittebat ratio, dabat natura: vt, qui ſic cupide impetebant, eorum contra vim arma ſumerem: & vires erant, erantque auxilia. Sed in tuam defenſionem reiicere viſum eſt omnia, & te vindice vlciſci improbitatem hanc. Quod vt impetrari abs te ſinas, per ſalutem tuam oro & obteſtor. Iam audebo enim non petere amplius, vt ne iſtorum inductus fraude mihi ſuccenſeas, ſed vt maleficium etiam cum ipſis hoc expoſtules. Summa cauſſæ æquitas eſt: adde tuam auctoritatem, Imperator, tuamque gratiam. Debet hoc ipſa abs te cauſſa impetrare, ſi non orem ego etiam. Vides enim, quæ adnexa meo periculo ſint: neque ſic hebes tuus eſt intellectus, vt non ſentias, ad te quoque pertinere hinc aliquid. An putas liciturum tibi* libere *poſthac* decernere, *ſi* hortari libere *mihi non licet? Aut non manifeſte vides* meam perni-

ni-

niciem *esse* tuæ potestatis obsidionem, tuique iuris vinculum? *Me serua igitur, quem vides sine magno tuo incommodo perdi non posse. Da hoc* famæ *tua, si cuiusquam* innocentiæ *negas. Nam studia tibi mea non narrabo hic: nec labores exponam: & indagatam omnibus viis, per tot pericula, tot acerbissimos casus, litterarum pariter ac rerum cognitionem non memorabo. Etsi enim factura erant hæc nonnihil ad concitandam mihi apud te misericordiam: quemadmodum illud quoque, quod maiorum tuorum res gestas meis ornaui litteris: tamen ex ipso meo facto, nulloque penitus horum respectu, iudicari abs te volo. Qui si effecissem, quod conatus sum, vt non liceret his amplius* compilare Germaniam, tuam maiestatem ludibrio habere, publicam libertatem conculcatam tenere, veritatem euangelicam præstigioso inducto fuco omnium oculis atque auribus adimere, *præmium abs te postularem, tantum a supplicii metu abessem. Nunc, qui beatum me arbitrarer, si hoc perfecissem, miserum non duco, si frustra conatus sum. Sed nihil frustra actum a me existimo, te animum exigente, te necessaria de caussa vindictam aduertente. Videmus infinite augeri hodie, quæ maiores ante*

no-

nostri cumulatâ plus satis putabant. Videmus, sed te monere non audemus. Quæ seruitus, *immortalis Christe, quæ* captiuitas *ista est! Aut quousque aduersum fortissimos reges & populos inuicti* nugacibus bullis & inanibus *paremus* fabulis? *Siccine omnis exstincta virtus est, omnis a Germania fortitudo exsulat? Nihil animi, nihil mentis, nihil sensus relictum est? Sed bene agitur. Te nobis bona fortuna dedit! Te singulari quadam erga patriam hanc misericordia & benignitate Christus misit,* Carole Auguste, *qui inspicias hæc, quique emendes! Quod te adeo facere volo, vt de me sollicitus amplius non sim: meque satis vixisse putem, si quo* scriptis *ego &* oratione *hortatus sum, huc te* factis *ire videam. Audies tamen caussam hanc, & iudicabis! Omnem cognoscente te dicere liceat! sed licebit. Nam alium ego præter te iudicem nec debeo habere, nec ferre possum.* ATQVE IGITVR, QVID CVM EPISCOPO ROMANO EQVITI GERMANO? *Sed hæc tu statues. Ego interim non patiar, Imperium hoc, nomenque Germanicum, a quoquam haberi ludibrio. Vbi si non possum aliud, hoc faciam tamen, quod adimere nemo potest: vt* occulte mecum fremam indignitatem rei: ac fortunam, quæ conatui meo defue-

fuerit, accuſem. *Vale, Imperator, nobisque diu ſuperſtes viue.*

ALBERTO Cardinali & Archiepiſcopo Vlrichus de Hutten Salutem.

Ex aliis cognoui, quid mandauerit Decimus Leo *tibi: quo imperio, qua vi impellat, vt* vinctum me Romam mittas (z). *Nam tu, quod debebas, vt mihi videtur, non monuiſti: forte quia obnoxius es Decimo. quod vt feliciter tibi cedat, ex animo & amanter opto. Ille tamen, valde metuo, ne rem vobis Epiſcopis, totique eccleſiaſtico ordini malam, rem atrocem & lugubrem conciliaturus ſit iſta ſua numquam prius audita inſolentia. Quod videre vos oportet; & cauere multo ante, ne veniat tempus, vt dici neceſſe ſit,* non putaram. *Vtinam liceret nunc maxime colloqui tecum. Atque igitur male pereat, qui me a tuo conuictu, Principis, ſic erga veram pietatem, ſic erga bonos adfecti, abſtrahit. Quo haud ſcio, an moleſtius in hoc aduerſo meo caſu euenerit aliquid. Sed obdurabo in omnibus*

(z) acerbiores vehementioresque, quam illæ, quas ſupra inferui, exſtiterunt, dediſſe paullo poſt *Leonem Pontif.* ad *Albertum* Hutteni cauſſa litteras, ex verbis his colligi poſſe, arbitror.

bis, aliquando dissimulabo etiam. ***Excludor ab*** aulis, *ab* vrbibus, *illa etiam (o dolor!)* aurea Moguntia (a), *a* publico conuictu, *ab* hominum consortio, *homo nullius improbitatis reus, de nullo scelere, nullo malo facinore conuictus, adsertor veritatis; qui ad optima capessenda monitor fui: & indicta caussa excludor: tandem ad supplicium quoque Romam deposcor. Quis est vel guttam habens in se*

(a) cur *auream* appellare consueuerit *Moguntiam*, initio *Vadisci* sui explicat auctor: scilicet non tam, quod *aurum* habuerint *sacerdotes* istic, eique studuerint magis cupide, quam ipsis pæne sacris: quam quod egregias res, & si quid maxime nobis arridet, vt carum sit, & impense placeat, ita vocare soleamus. *Sic enim*, scribit ibi, *videtur mihi omnium in Germania vrbium hanc vnam esse, quæ siue loci opportunitatem spectes, siue cœli bonitate potissimum mouearis, primam ad se laudem recipiat, nam & aer est, quantum haud alibi salubris, & situs longe amœnissimus; habetque Mogum & Rhenum, amnes maximos apud se confluentes, quo fit, vt & facile exspatiari liceat, &, tota Germania quid agatur, perquam cito innotescat ibi. Tum illud arbitror, studiosis conuenire eis habitationem inprimis: nam ego quoties alicunde reuertor, iam, apparente vixdum vrbe, refici mihi & alacrior fieri videor, neque vnquam ibi aut legere piget aut scribere. Quin etiam vtrumque mira (quantum ego sentio) felicitate facio, quod nusquam facilius prouenit lucubranti.*

ſt Germani ſanguinis, quem hæc indignitas non moueret? hæc atrocitas non irritet? Ille interim quaſi vno pulſu iniecturus omnia, brachium ſæculare implorat. *O amentiam prope ſingularem, o veſaniam diu memorabilem, niſi, qui hoc faciunt,* ſanctisſimi ſint! *Tuam conſcientiam appello,* Alberte: *poteſt quicquam agere ſe indignum magis Chriſtianus Epiſcopus, qui toties iam renuntiauit ſæculo, quam ſi, deſperato* brachio Domini, *id eſt, Dei filio, verbo Dei, virtute Dei, illud inuocet* ſæculare, *id eſt, regnum mundi, quod Dei non eſt, immo a Dei regno ita ſeiunctum eſt, vt conſortium non patiatur. Quo de per* Eſaiam *prophetam dicitur:* Væ, qui deſcendunt in Aegyptum, auxilium in equis ſperantes, & habentes fiduciam in quadrigis, quia multæ ſunt; & ſuper equitibus, quia præualidi nimis: & non ſunt confiſi ſuper ſanctum Iſrael, & Dominum non requiſierunt. *Mihi contra ſatis eſt in* brachio Domini *ſperare, vt cum eodem propheta dicam:* Ecce Dominus Deus auxiliator meus! quis eſt, qui condemnet me? *Nam* tinea comedet eos, qui a modeſtia illa Chriſtiana, quam *Paulus* notam eſſe vult omnibus, tam longe ab-

ſunt. Qui non in ſpiritu ambulant,ſed deſideria carnis perficiunt: *vt dici eis poſſit:* Confiditis ſuper baculum arundineum confractum iſtum, ſuper Aegyptum: cui ſi innisſus fuerit homo, intrabit in manum eius, & perforabit eam. *His ego, Princeps* Alberte, *verum dicens inimicus ſum factus. neque enim aliter diſplicere potuiſſem. Sed diſpliceam, dum* auxilium meum ſit a Domino, qui fecit cœlum & terram: *cuius* viam veritatis *elegi. Nam* veritas ipſe eſt: & omnia mandata eius veritas. *Quòd ſi narrant mihi* fabulationes Epiſcopi Romani, nullo bono zelo, ſed lucri ſtudio concinnatas, *aſpernabor, abiiciam, deteſtabor. neque enim ſunt, vt* lex Dei. *Quæ vtinam ſic eſſet cordi Epiſcopo* Leoni, *vt ſemper cogitat* noue Germaniam compilare. *Nos, qui* iugum Pontificium *noſtro iure detrectamus, primum* excommunicationibus, *poſtea* gladiis *etiam, &* veneno *perſequitur, poſtremo* vinctos Romam abduci iubet. *Neque enim huc veſaniæ prolaberetur, vnde aut abſtrahi eum ſtatim oportet, aut miſceri paſſim omnia. Hæc breuiter, vt tempus tulit. Tibi omnem felicitatem precor, hoc inprimis, ne* mali exempli con-

contagio *ad te vmquam perueniat. Atque igitur protegat te Christus seruator & confirmet.* *Ex* Ebernburgo *Idib. Septemb. Anno M D XX.*

Sebastiano DE ROTENHAN, Equiti aur. S.

Hoc pertonante in me Decimi Leonis *tonitru, interim quid tu facis? Qua spe, qua futurorum coniectura agis? Et ista quando audis (audis autem cottidie) quæ in me absentem dicuntur ab ecclesiasticis patribus, quid mutire audes? quid libere loqui? Nonne in te* Francus animus *residet?* auita libertas? *Non credo, ita odisse Germaniam superos, vt non plurimi se mihi adiungant, quo efficiamus hoc, quod nisi propediem fit, actum de* libertate *nostra est, actum de* Christiana veritate. *Illa conculcatur enim,* hoc imposito iugo: *hæc aboletur,* pudendis inductis ab illis impostoribus nugis. *Quamquam si destituar, soler me* conscientia, *&* posteritatis spe. *Neque enim ita exstingui hoc incendium potest, vt non aliquando, in maximam illorum perniciem atrociter sit exarsurum. Perquire istic, quid agatur, diligentissime: & apud Nobilitatem, quando fieri opportunissime potest, de*

me, quod in rem hanc sit, loquere. Aliquando per epistolas mone, quid habeas. apud inimicos vero meos ingentem meum, & fracti persimilem, metum simula. Sic fiet enim, vt me contemnant isti. Questus sum Carolo Principi *de* iniuria & atrocitate Romani Episcopi, vinctum me Romam abduci ad se petentis. *Queror &* Principibus populoque Germaniæ, *non quo mihi timeam, sed vt* rei nouitate (*solum enim numquam prius experti sunt hoc Romanistæ) multorum animos ad vindicandam* communem libertatem *accendam. Implorat ille* brachium sæculare: *ego* Domini *contra* virtutem *composita oratione inuocabo. Quis horum finis erit? Tu coniice. Nos aliquid audebimus interim, neque vmquam segniter negotium hoc agemus. Vtinam sit in* Carolo *dignus ipso animus, & hæc vindicet ipse. Hoc summe in votis est. Vale. ex* Ebernburgo, *Idib. Septemb.*

Inuictissimo Principi FRIDERICHO, Saxonum Duci, Electori, Vlrichus de Hutten Eq. Germ. S. (b)

Iam tandem video, Princeps Fridericheþ,

(b) Excerpta quædam ex Epistola hac inserta sunt

riche, obſæuiendum eſſe Romanæ tyrannidi. *Iam tandem, poſtquam toties fraterne moniti, toties rationibus conuicti, fratres noſtri Romaniſtæ, non tantum non mitius agunt ea, quæ nos grauant, ſed ferocius adhuc omnia experiuntur etiam. An non audiſti,* vinctum Romam peti me? *& id quale ſit, quamque iis dignum vides? Nunc autem in* Lutherum, *qualem, bone Deus, quam* violentam, *quamque* crudelem *contorſerunt* bullam! *Dicas plane,* Leonis *eſſe hunc* rugitum: *quem audientes miſeræ Chriſti oues, non vt* piam paſtoris vocem *agnoſcant, ſed vt* inſidiatoris feri ſanguinariam *contremiſcant. Eſt aliquod ibi enim Chriſtianæ manſuetudinis veſtigium? aliquod eſt apoſtolicæ indicium modeſtiæ? Sic fremit ille, ſic furit! Sed tunc magis luceſcit eius feritas, quando, vt ſæpe in ea bulla, alium ſe fingit, & beneuolentiam callide ſimulat. Quale illud eſt, vbi* blande Romam inuitat Lutherum. *Quaſi vero ignoremus, quemadmodum habiturus nos ſit, ſiue perſuaſus ille vltro veniat, ſiue raptus ego vi cogar.* Lutherus *itaque, ſi me audiet,* numquam

 ibit

Tomo II *Scriptor. b. Lutheri Lat. VVitteb.* ed. pag. 50, b. In ſcriptorum, qui Tomo huic ſubiectus eſt, indice eadem iſta Epiſtola *Pictura Romanæ Curiæ* nuncupatur.

ibit ad certum supplicium: *de me autem valde miror, quis persuaserit Decimo*, tam facile & capi posse, & captum e media Germania, per transitu difficiles Alpes Romam duci. *Fac posse autem, est hoc* pastoris *officium, est* Episcopi, *est* Christi vicarii, *non accusare, non audire, sed primo statim ad pœnam rapere? ad supplicium ducere? hominem Christianum?* culpa *est autem omnis nostra, atque omne* crimen *est*, quod Euangelicam doctrinam, sui lucri studio ab illis iam olim antiquatam, pæne abolitam etiam, ad suum vigorem, suamque reuocare lucem conati sumus: Germaniam vero nostram, cui omnium orbis nationi maxime libertas competit, seruire, non patimur. *Displicuit hoc illi pastori, at Christo placuit: nocuit perditæ auaritia Romanæ curiæ, at prodesse incipit libertas diu iam inopi patriæ. Neque nobis, quum vellemus inseruire Christo, vniuscuiusque cupiditatibus gratificari licuit; aut quum iuuanda esset patria, cum illa facere potuimus Romanistarum factione. Itaque pax non est cum illo nobis (sic enim ipse censet) quia cum* veritate *est. Quare sic dico:* obsæuiendum illis tandem est, quando & maxime diripimur nos, &

& in ſummum euaſit illorum improbitas. *Forte etiam, quia* tempus eſſe videtur, vt viſitet Deus omnem arrogantem, qui ingreditur ſuper limen, qui complet domum Domini Dei iniquitate & dolo: & conculcetur corona ſuperbiæ ebriorum Effraim. *Omnino enim, niſi me omnia fallant, prope eſt,* vt illa cadat Babylon magna, mater ſcortationum, & abominationum terræ, quæ corrupit terram proſtitutione ſui. Illa, *inquam,* omni ſpurcitia referta, omnibus obnoxia ſceleribus, Romana ſedes. quæ quum a Chriſti inſtitutis degat alieniſſime; Chriſti *tamen* vicem *iactat* gerere *ſe hic; &* ſolam *iactat,* caput*que prædicat ſe* Eccleſiæ vniuerſalis: *immo ipſa eſſe hæc ſola contendit: & ſuum quoddam orbi oſtentat* idolum, perſonatum *illum* apoſtolicum. *qui quum præter ſæculi regna, ac diuitias mundi huius, & corporis voluptates nihil curet, propterque hæc Bella gerat, & ſanguinem fundat; tamen* claves *obiicit fidelium oculis, &* cœlum claudere *ac* aperire *præ ſe fert: tanta fiducia, vt ſacra illa & cœleſtia* pretio *quoque nobis cottidie vendat, aut, ſi quando placet, eorum vſum interdicat; bonis etiam. Cadet profecto, ca-*

det! Iamque adeo audire mihi videor, illam divinitus vocem, quæ nos in πολυκεφάλην hanc beſtiam *concitans dicat:* Reddite illi, ſicut & ipſa reddidit vobis: & duplicate duplicia, ſecundum opera eius. In poculo, quo miſcuit vobis, miſcete ei duplum. Quantum glorificauit ſe, & in deliciis fuit, tantum miſcete illi tormentum & luctum, quia in corde ſuo dicit: Sedeo regina, & vidua non ſum, & luctum non videbo, & huiusmodi: *Aut hæc ita ſunt, aut ego in re mirabiliter veriſimili fallor. Poſſent adhuc augeri enim iſta? aut quum accumulari vlterius non poſſint, & ſumme coaceruata ſint, non ſoluentur? non ruent? At quis illa vindicabit? quis corrupta omnia & emendabit & corriget? Deus ne? Certè Deus, ſed hominum, vt ſæpe ante, manibus. Vbi vos quid agitis*, viri Principes? *Quo nos conſilio, qua iuuatis ope? Tu præſertim, ad quem hereditario quodam iure pertinet*, adſerere Germanam libertatem; *quid in medium conſulis? quam iuuandi nos viam inuadis? quem aditum occupas? Vtinam aut animus ſit vobis, qui poteſtis, aut vires habeamus nos, qui audemus: vt cum* agno, humani generis ſeruatore; *pugnemus, contra* multicornem bel-

belluam, *commune orbis Christiani malum, quæ nunc multis cum viribus oppugnat veritatem, adfligit sanctos, in captiuitatem ducit liberos, nostras exhaurit opes, facultates deuorat; publicos suo exemplo mores corrumpit, passimque ab iis, quorum in libro vitæ non scripta sunt nomina, adoratur: qui nobis dicunt:* Quis similis bestiæ? & quis poterit pugnare cum ea? *Quare agite, adeste vos, qui potestis! & vbi ex nostro hortatu animum acceperitis, vestras nobis vicissim vires refundite! Sic fiet enim, vt ad sanitatem redeat hæc ægritudo. Ipse quidem numquam deero vobis sedulus hortator; atque eatenus inhærebo, quatenus aut recipere virtutem videam, aut non esse fortitudinis capaces intelligam. Tunc enim aliunde quæram huic malo remedium. quod ne fiat, curate: quum quia potestis hoc facillime vos, tum quia turpissimum est, ab aliis, quam ab iis, qui* rerum capita *sunt, rem communem restitui. Non tantum iniuria nos adficimur, qui monitores nos interposuimus, sed omnium iam oppressioni operam isti dant. Neque hos ferre, vt liberi, debetis; neque non auertere illud, vt Princeps Romæ olim* Cato senior *dicebat*, ex magistratibus qui possent, nec propulsarent iniuriam, lapidibus esse obruendos.

Ad-

Adeo putabat necessarium hoc in republica officium. Quam est autem indecorum, quam turpe, & fœdum, orbis reginam nationem cuiquam, nedum otiosis seruire sacerdotibus? *Vtinam enim Turcis pareamus potius, qui viri sunt, & inprimis strenui, ac rei bellicæ, vt vix vlla natio, periti: vt in fortunam, quæ in bello potest plurimum, hanc reiicere culpam liceat. Quin etiam mitius imperant Turcæ, & in subiectos æquiores sunt: neque de religione, vt audio, pugnant, sed pro imperio decertant. Hi vero domini nostri, quem fraudandi ac diripiendi modum statuunt? Religionem vero quis sic posset conculcare, vt ii; qui quum principatum in religione teneant, apposite contra Christum ac veram pietatem viuunt? Me quidem nostri vehementer pudet, quoties* Principum hic etiam ordini edicere aliquid *video* Ro. Pontificem. *At facit hoc ille, quoties libet, quotiesque in rem suam est. vosque, vt video, obsequentes habet sibi, nisi quod tu* Lutherum foues, ab omnibus derelictum, *& quamdam* alere *adbuc* pristinæ virtutis scintillam, *quæ* saluberrimum *aliquando* incendium *parere possit, videris. Quod vt constanter facias, etiam atque etiam te hortor: quum quia, vt sic fiat, necesse est,* tum

tum vero quia de nullo alio potest hac in re sperari melius. Semper *enim* liberi fuerunt Saxones, semper inuicti. *At sæpe quidem, vniuersa pæne conculcata Germania, soli restiterunt, soli externos propulerunt dominos, & omne detrectarunt iugum. Nam in vobis censeo* Westphalos, *eosque, qui* Cherusci *olim &* Cauci *vocati, eximium virtutis suæ specimen dederunt bello Romano, atque illum Germaniæ miserunt* Arminium, *Imperatorem omnium, qui vsquam fuerunt, optimum & fortissimum, quod ab hostibus etiam consecutus testimonium est: qui non patriam modo, sed vniversam etiam Germaniam, e manibus Romanorum, tunc quando plurimum poterant, ac maxime florebant, eripuit: ipsos vero multis & incomparabilibus adfectos cladibus, strenue expulit, & eiecit. Ille igitur apud inferos liberator noster quid sentit nunc, quando videt, quum ipse fortes Romanos & orbis terrarum dominos regnare hic non tulerit,* mollibus sacerdotulis, & effeminatis seruire Pontificibus? *Nonne posteritatis pudebit eum? Illi autem* Othones *vestri quales fuerunt? &* Henrichi *quidam, vestri & illi sanguinis? Porro bello quod cum* magno Carolo *gestum est, annis plus triginta, quæ perspecta* Saxonum for-

fortitudo *est? quæ virtus enituit? Adde illos, qui deleuerunt vltimas* Gothorum *reliquias: vestri enim fuerunt. quique* Britanniam *expugnauerunt; &,expulsis indigenis,* Anglos *ex se &* Scotos *deduxerunt. Quid illos memorem veteres* Cymbros & Teutones *magno vrbis Romæ malo vestris e finibus in Italiam effusos olim? Deinde, quoties ingressa Italiam est illa natio, & cum aliis vna* Gallias *deuastauit: attactis etiam* Hispanis! *sunt & in* Sarmatis *præclara illius facta. Et ab* Hunis *quondam, post ab* Vngaris *etiam, quas & quam splendidas reportarunt sæpe victorias tui populares? Multa consulto prætereo, quia vnum satis est meminisse,* solos numquam externis seruisse Saxones. *Quod videre vos decet: ne, quum maiores vestri tales fuerint, vos aliquid indignum hoc genere admittatis. Accepistis quidem & ipsi iugum in vos a Pontificibus,* superstitione, *vt omnes olim,* deliniti. *Sed quum hoc malum quoddam vniuersim Christiani orbis fatum interpretari liceat; facile infamiam eam noua abolebitis gloria, si auctores sitis rei longe pulcherrimæ atque honestissimæ, vt per vos in libertatem vindicetur vniuersa natio, sibique reddatur Germania: quæ nunc non intelligit, non sapit, immortalis Christe, quid & quam*

quam indigna patiatur. Nam, quum omnibus seruire indecorum eſt, tum vel præcipue turpiter hoc fit ab iis, qui imperare ipſi aliis debent. Aut igitur deſinamus orbis imperium adſcribere nobis, & Imperatores deligere hic, qui nomen habeant tantum, quum ab re abſint longiſſime, aut ſtrenue pontificiam auferamus tyrannidem. Omnis, *vt* Platoni *videtur*, liberalis virtus eſt, ſoli ſeruitute digni ſunt mali. *Præſtat in malis eſſe, quam non haberi optimos. Poſſet in nos dicere hoc, ſi eſſet hodie, quod in* Eretrienſes *olim ſtrenuus imperator Themiſtocles*, gladium habere, ſed corde non eſſe præditos. *Sic enim videtur. Quod vnice miror, quæ cogitatio vos teneat Principes, quando* me Equitem *videtis*, tam impatienter ferre indignitatem hanc? *Multo enim magis hæc vobis curæ eſſe conueniebat. Poſſes autem lacrimas effundere tu, ſi, quum multa egregie gesſiſſent maiores tui, nullam tibi reliquam adeundæ gloriæ occaſionem feciſſent. At optimam reliquerunt & fertiliſſimam; tu modo inuade & occupa! Sed non ſine cæde, non ſine ſanguine fient, quæ conamur. Hoc illi viderint, qui cauſſam nobis perſequendi ſui dant. qui mihi dignisſimi videntur, quos percutiamus gladio, quum alios gladio toties percuſſerint*

prius

prius ipsi. Solent vero medici amarissimos plerumque morbos amarioribus eluere medicamentis. Sic agatur hic, quando aliter agi nequit. Existimo autem, de turpitudine *nostra (quod primum & præcipue fieri decuit) inculcatum tibi satis iam.* De incommodo *vero &* detrimento *quæ ab illa nobis sunt* tyrannide, *haud perinde multis agendum est: quod, hoc quale sit, manifeste omnes intelligant. Videmus, non esse aurum in Germania, nec argentum pæne: si quod reliquum vero est, ipsum auarissime ad se trahit, nouis cottidie inuentis artibus, ille sanctissimus Romanistarum senatus: vbi quid eripuerit vero, tum in pessimos confert vsus. Vultis enim scire, Germani, quæ vidi ipse, quid* faciat Romæ nostra pecunia? *Nonnihil facit. Partem in* nepotes *suos &* cognatos *profundit* Decimus: *habet ita multos ille tales, vt* prouerbio locum dederint. Leonis *Romæ cognati & adfines partem, partem absumunt tot* Reuerendissimi, *quos triginta vnum pater ille vno atque eodem creauit die: tot* Referendarii, *tot* Auditores, Protonotarii, Abbreuiatores, Scriptores apostolici, Camerarii, Officiales, *& id genus alii* Principis Ecclesiæ Primates. *Nam hi post se trahunt maxima adhuc cum im-*

pen-

pensa, Copiistas, Pedellos, Cursores, Scopatores, Muliones, Stabularios, *&* scortorum vtriusque sexus innumerabilem turbam, *&* lenonum exercitum. *Alunt &* canes, equos *ac* simeas, *&* cercopithecos, *& huiusmodi multa animi caussa.* Domus *vero exstruunt* solido *quidam* e marmore, *&* gemmas *habent:* cœnant*que* laute, *ac* splendide vestiuntur, *&* genio indulgentes, secure deliciantur. *In summa*, nostræ pecuniæ præsidio magna otiatur Romæ pessimorum hominum multitudo. *Nulla ibi religionis cura, magnus est contemptus, qualem vix apud Turcas esse arbitror. Fraudant, imponunt, furantur, mentiuntur, falsum obsignant, spe lucri omnia dicunt ac faciunt: propositum vero habent hi omnes,* pecuniis nostris insidiari. *alii viuunt, vt edant atque bibant, & sumptuosissime delicientur: nostrisque sumptibus adsequuntur hoc. Has ob res immensam, o* Frideriche, *auri vim Romam quotannis hinc mittimus, nec adhuc intelligimus*, perdi, quod sic elargimur. *immo non perdi rem tantum, sed* materiam *fieri adhuc* magnorum infinite malorum. *Itaque si philosophari libet, ob idque pecuniam abiicere decretum est, patent tot in propinquo*

maria: sunt fluuii: ille apud nos Moganus, *vltra* Rhenus, *tuus istic* Albis, *atque alii. Demittamus eo, vt perdatur ipsa potius, quam perditionis caussa sit vbique multis: dum istam* pascimus turpitudinem Romæ, *superflue adeo, vt huc nonnihil inde redundet: dum hanc* alimus publicam morum pestem, *hanc ipsi* fouemus vitæ contagionem. *Sed non abiiciemus. tantum transferri alio non sinamus. Hæc* prima & optima *est* destruendæ illius tyrannidis via, *hic* modus. *Certe enim subducto hoc* luxuriæ fomento, *minus se efferent, tractabiliores passim erunt. Postea duce aliquo* Othone *illum censebimus senatum, vrbem Romam lustrabimus, & eiectis malis compluribus, paucos quosdam sua illic sacra curare iubebimus, regnare non permittemus. Ipsi Imperatori, siquidem esse volet, Imperii sedem reddemus:* Romanum Pontificem, *vt æqualitas episcoporum sit, in ordinem redigemus.* Sacerdotum *etiam hic censum minuemus. ipsos ad frugalitatem perducemus, & pauciores faciemus, centesimo quoque delecto. De iis vero, qui* fratres *vocantur, quid statuemus? Quid enim aliud, quam quod ego censeo, abolendum omne* monachorum *genus. Quod ignorari non debet, si fiat, quam sit vtile,*

quam-

quamque fructuosum reipubl. Christianæ futurum. Primum enim coactis tot sectis, tot conciliatis inuicem diuersitatibus, ablata viuendi dissimilitudine, intestina simultas cessabit, praua æmulationis caussa non erit, neque inuidiæ materia suppetet. omnes in Christo vnum erimus. stabit publica concordia, ac inter nos omnes coniungemur, vt exterius differamus ab aliis. nemo tunc mollis & delicatus, vel auarus ad sacerdotia, vt nunc, adspirabit. probi & docti, qui vitæ quidem exemplo meliores alios faciant, doctrina vero multos erudiant, ipsi arcessentur. Deinde, quod optandum in primis est, tot hypocritæ desinent simplici plebi fucum facere, pauperum sudorem ac sanguinem emendicare, omnes exhaurire, se implere, sub falsa religionis specie fraudare, & decipere. An non vides, quot magni nebulones, quot callidi veteratores, sub monachali cucullo, magna nonnumquam flagitia patrant? & quod multi nunc insidiosi accipitres, columbinam simplicitatem simulant? multi rapaces lupi agninam præferunt innocentiam? Quorum tamen si qui meliores sunt, sua quædam & noua superstitiose sequuntur, impie ab iis, quæ Christus instituit, præuaricantur. His tot Germaniam atterentibus, magisque ac magis omnia deuorantibus, ablatis, simul ea, quæ in

 nos

nos feruntur Romanistæ, diripiendi licentia ad-empta, multum hic auri, multum erit argenti. Verum id, quantumcunque nobis, aut qualecunque relinquetur, in meliores verti vsus poterit. nempe vt alantur magni exercitus, & Imperii propagentur fines: etiam Turcæ, si videbitur, debellentur. vt multi, qui propter penuriam furantur nunc & rapiunt, stipendiis tunc viuant. vt, qui aliter egent, publicitus, quo inopiam tolerent, accipiant. vtque doctissimi alantur homines, & litterarum studia foueantur. In summa, vt virtuti præmia sint, internæque egestatis habeatur ratio, ignauia exsulet, fraus occidat. *Hoc videntes* Bohemi, *per omnia nobiscum facient. nam antequam aduersus auaros sacerdotes sibi consuluissent, probibiti erant. Facient &* Græci: *qui quum ferre nec vellent, nec possent Romanam tyrannidem, Romanorum Pontificum instinctu, pro schismaticis sunt habiti, multo iam tempore. Ac* Rutheni *erunt nostri, qui quum esse nuper vellent, repulsi a Sanctissimo sunt, iubente pendere sibi aureorum quotannis quater centena millia. Etiam* Turcæ *minus oderint: nec vlli* Ethnici *calumniandi, vt prius, occasionem habebunt. Hactenus enim eorum, qui religioni præfuerunt, vita turpitudo, odibile a-*

pud

pud alienos Christianum nomen reddidit. Erit hoc adfluxisse fluctuantem Petri nauiculam, destruxisse Ecclesiam Dei? & (quemadmodum sacrilegi clamant Romanistæ, fœda vociferatur Epicureorum schola) inconsutilem Domini tunicam discerpsisse? an vero accessione tot populorum, emendatis publice moribus, & contagiosis ablatis e medio exemplis, depurgasse, prouexisse, & auxisse? Vides igitur, quam nolim abolitam caritatem; sed, *deuictis eis, quæ obstant,* locum ipsi facere? *quam* nolim destructam Ecclesiam, sed, *relegatis Antichristis impostoribus, bene Christianis his, & vitæ sinceritate commendatis,* ad Ecclesiæ curam præbere aditum? *Itaque hoc erit* restitui caritatem, augeri Ecclesiam, *& dum Christianæ in vniuersum reipubl. consulitur,* magno *interim* commodo patriam adficere. *Nam facile inter æquales conuenit; &, qui vitæ similitudine tenentur, mutuum plerumque amorem vltro concipiunt. Expulsis autem ignauis fucis, mellifera aduolabunt apes, quæ secure ista nobis restituent aluearia. Ibi tum* reddita sibi pietas se tuta consistet; poteritque durare. *Nam haud erunt* irritamenta malorum diuitiæ, *neq;* ad vitæ dissolutionem vocabit mollis opum luxuria. *Hæc vti-*

nam aut velletis vos, qui potestis, aut possem ego, qui volo. Quod si flectere vos nequiero, neque alibi etiam incendium, quo hæc adurantur, excitare, quod præstare tamen solus potero, nihil admittam forti indignum Equite. Neque *vnquam (donec quidem sana mihi mens constabit)* vel tantillum ab iis, quæ proposui, discedam: *vestri autem, quos a virili fortitudine degenerare videbo, (siquidem videbo) miserebor.* manebo*que* liber, quia mortem non timeo. *Neque vnquam de Hutteno audiatur, quod* externi alicuius Regis, quantus quantus erit ille, nedum ignaui Pontificis, imperata faciat(c). *Tantum aberit, vt illam vobiscum* adorem multicipitem bestiam. *quum quia non feret hoc mea natura, neque me dignum arbitrabor; tum vel maxime, quod timebo, ne illæ effundantur in me diuinæ iracundiæ phialæ. Nunc autem*

(c) *Licet spoponderit deinceps Galliarum Rex CCCC coronas, vt Principem agnosceret se, nec quicquam muneris haberet, quam vt a consiliis staret, moraretur que, vbicunque vellet locorum: tamen nihil cristas erigens, fortunam oblatam generoso animo contempsit: quum fuisset alioquin optima occasio ad Regem deficiendi, & in summa iam fuisset suorum persecutione; vt merito & citra calumniam potuisset ab Germanis in aliam gentem deficere.* Verba sunt *Oth. Brunfelsii* in *Responsione ad Spongiam Erasmi*, g, 6.

tem vrbes deſero, *quia veritatem deſerere non poſſum:* liberrime*que* lateo, *quia libere verſari inter homines non licet, magno cum periculi, quod circumſtat, contemptu.* Mori *enim* poſſum, ſeruire non poſſum. *Etiam* Germaniam videre ſeruientem non poſſum. *Sed aliquando reor, facta ex his latibulis eruptione, Germanorum fidem implorabo: & ibi forte, vbi maxima erit hominum conuentio, exclamabo:* Ecquis pro publica libertate audet cum Hutteno mori? *Hæc ad te pro animi commotione magis, quam te dignum eſt, libere. Sed bene de te ſperabam. Igitur exiſtimaui,* ad liberum ſcribendum mihi libere. *Vale, & te excita* (d). *Ex* Ebernburgo, *tertio Idus Septembres.*

Omnibus omnis ordinis ac ſtatus in Germania PRINCIPIBVS, NOBILITATI ac PLEBEIS, Vlrichus de Hutten Eques, Orator, & Poeta laureatus Salutem.

Quum veritatis amore, *ſimul &* patriæ

(d) Sub idem ferme tempus, vt paullo poſt ex *Epiſtola* ad *Lutherum* a noſtro ſcripta intelligemus, per literas hic a *Georgio Spalatino* petiit, vt *Friderici Electoris animum exploraret, ſibique præſcriberet, quid in hoc eſſet præſidii.*

triæ ſtudio, *ea ſcriptis prodidiſſem nuper, quæ reticere, & impium ſatis putaui, & officii eſſe haud quaquam mei arbitratus ſum, de* immodica Romani Pontificis potentia, *de* peruerſo vrbis Romæ ſtatu, *de* luxu & auaritia Sacerdotum, *de* Simoniaca hæreſi, *de* Curtiſanorum improbitate, *vniuerſim de iis, qui* quum ſpirituales vocari poſtulent, nec viuunt ex ſpiritu, & carnis negotia tractant omnium auidiſſime, ac voluptatibus dediti ſunt perdidite, *de* nouis ſemper Pontificum ſanctionibus, ac violentia cottidie bullarum plus quam tyrannica, *& id genus alia, quibus multipliciter ac prope infinite Chriſtianæ veritati derogatur, hæc natio grauiſſime opprimitur: eſſentque adeo omnia manifeſta, vt negari non poſſent: adeo iniqua, vt nec excuſationem acciperent, & defenſionem excluderent. ego vero quum in litteras referrem, non tantum non conſcius eſſem alicuius mihi delicti, vt pœnam metuerem, ſed bene meriti etiam vt præmium ſperare auderem: vt qui ea monerem, quæ ex Chriſti inſtituto quum eſſent, me quidem digna videbantur, & religioni conſentanea, publico vero etiam neceſſaria. Nam id plane conabar efficere, vt aliquando reſipiſcant iſti:*

quo

quo ne nimium iustas persequendi sui caussas populo Christiano præberent. Quum hæc, inquam, conarer, atque hoc animo, hac spe, hac fide conarer, eam statim sensi hominum commotionem, quæ esse solet, quoties nouis studetur rebus aut aliqua imminet publico euersio, grauem *scilicet* infensionem, horribiles minas, terrores admodum vehementes, præsens periculum. *Nam ex amicis,* anathematis fulmen, *nuntiabant aliqui,* in me distringi, *quidam* carceres, *aut aperte* cædem: *nonnulli horum nihil, sed* destinatam clam necem mihi: *eamque, aiebant, siue immissa ex improuiso* sica, *siue* propinato veneno *patratum iri. certe* abolitionem mei *existimabant decretam omnes. Quidam se etiam scire palam fatebantur, quæ prodere non auderent. Quin etiam ex vrbe Roma certior factus sum, quibus curantibus tam grauia in me consulantur. quumque descendissem in* Brabantiam *paullo post, & dies aliquot in* aula *inuictissimi Regis ac Domini nostri* Caroli *versarer, monitus statim a necessariis ibi meis sum, si me seruatum vellem, vt discederem statim: ibi enim potissimum dispositam mihi fraudem, ibi collocatas insidias: nec fieri posse, vt effugerem, nisi mox fugerem. Ea accepta fama,*

primum innocentia fretus contempsi. verum vbi hæc non vnus & alter, sed complures iam simul deferre cœperunt: cur monitionem accipere nollem, caussa visa non est: cur inde me confestim proriperem, necesse visum. Non dico, quis insidiatus mihi sit, Germani, nec omnino quod vere insidiatus aliquis sit, sed ab amicis monitum dico, iam imminere meo capiti perniciem, *iam* non longe a mea internecione abesse me. *Dicebant vero, quum scire maxime vellem, vnde mihi periculum esset, aut vnde insidiæ, eos, qui* Pontificis Ro. apud Germanos agunt negotia, *conari hoc, &* a Curtisanis, *quotquot hi, aut quiqui sunt,* cauendum mihi esse. *Sed non falsos esse, qui tunc monebant, documento fuerunt, quæ insecuta sunt. Nam & redeunti mihi aduerso* Rheno, *qui ab vrbe Roma venientes, vt multi tunc, forte occurrerunt, palam dixerunt, Romæ omnes hoc dicere,* implacabiliter irasci mihi Pontificem, eum persecutionem decreuisse iam contra me, quantum fieri possit, atrocem: *&* Moguntiam *vbi redii, factus obuiam amicorum concursus est, gratulantium, quod sibi redditus essem: quorum aliqui admodum mirabantur, quod viuerem. Dicebant enim, & fama erat passim,* eas esse

in-

insidias mihi, quas difficillimum sit evadere. *quare etiam diu iam salutem meam desperarint, ipsum me pro conclamato pæne habuerint. Superuacuum est nunc exponere, quid præterea intellexerim ibi. Verum vt* Francofurdium *inde perueni, ecce ab amicis epistolæ ac nuntii, quidam etiam præsentes ipsi docent, iam litteris contendere a quibusdam in Germania Principibus Episcopum Romanum, nonnullis suo iure etiam imperare, vt* vinctum me Romam mittant: *idque e summis vni* (e), *quem hoc maxime posse arbitretur, obnixe adeo, vt nisi faciat, atrocia omnia diminetur, seque non amicum iam vltra denuntiet, sed inclementem fore prædicat. Ibi tum, qui amici fuerant, territi complures sunt, ac animo perculsi. Neque ita longe post, qui imbecilles erant, nec animis valebant satis, abstinere cœperunt. Nam vix dum agnitum erat, vera monuisse hos, quum alia continuo fama, alius terror accedit, eadem apud* Carolum *Regem conari quemdam Pontificis oratorem: eique ab illo demandatum, vt* vbivbi incidat, comprehensum me adgrediatur. *Quare etiam, vt vbique hoc sibi per Germaniam liceat, auctoritatem* Caroli de-

(e) *Albertum Moguntinum Archiep.* intelligi, ex superioribus obscurum non est.

deposcat sibi: & quod in vltimis fieri solet, brachium sæculare imploret. *His tot tanto cum terrore obiectis subito, quum videam plane fieri iam, quæ cogitari, priusquam audiissem, non credideram, & ea hactenus sim molitus, quæ cum* publico bono & patriæ commodo, *summam* honestatem, *optimam* fidem, *ac* veram *in se* religionem *complectantur; & quæ accusare non liceat, probare etiam necesse sit: tamen ob imminentis clam ac vi periculi magnitudinem (neque enim publice quicquam metuo: aut iure metuo) locus mihi amplius in Principum aulis non sit, & in amicorum, vt ante, negotiis versari vltra non liceat: in summa, (quia* vbique Curtisani sunt, habentque venenum & sicas, & vt gratificentur Pontifici, ausuri omnia creduntur) *publico interdictum mihi penitus cognoscam, idque nullo meo errore, nedum culpa, sed istorum* (qui quum sic viuant, verum in se dici non patiuntur) *vi ac violentia. quum aperte videam huiusmodi, inquam, nec aliter declinare liceat,* cedam malorum potentiæ, aulis, cedam conciliis; cedam publico. *Sed ita cedam, vt interim tamen, neque a* veritatis adsertione, *ad quam referenda omnia sunt, neque a* vindicatione libertatis patriæ

pro

pro qua mortem etiam formidare non debeo, discessurus vmquam sim. Qua in re quum occupari totis viribus multo ante proposuerim: neque tamen, quum pie hortarer, vt placide, quæ obstant, verterentur, profecerim: eo necessitatis cogor tandem, vt non iam quærendi sint, qui adserendæ veritatis, & patriæ libertatis vindicandæ auctores mecum fiant, sed qui vitam ac salutem meam conseruent, inuocandi. Quare ille ego, qui circumspiciebam paullo ante, vt essent, qui laboranti inter tot oppressores Christianæ veritati opem ferrent; eique detergerent inductum iam olim magno cum dedecore religionis *nostræ* fucum: *ac* istud *excuterent* iugum, *quod pro suaui a Christo imposito, ab antichristis tyrannis inductum est* acerbissimum: *&, fœda e medio sublata* seruitute, *qua tot iam sæculis opprimimur a Romanis Pontificibus, priscam repararent libertatem; quam benefice suis Christus dedit, isti nimis inciuiliter ademerunt, crudeliter lacerarunt, pæne etiam funditus deleuerunt. ille, inquam, ego, cui hæc & huiusmodi paullo ante cordi fuerunt, idem nunc, vt viuam, atque hæc diutius agere possim, cogor tot clausus insidiis, tot agitatus persecutionibus, omnium consilia, omnium opem atque operam implorare. Sed quo confugiam? Vnde auxilium*

lium petam? Vos appello, vos obteſtor, Principes ac viri Germani! bene meritos eiici, innocentes plecti ſinetis? Ah ne facite! ne hanc in vos accipite notam! vt, quum in extraneos ſemper hoſpitalis *ante* Germania *fuerit, vos in domeſticum fuiſſe non benigni videamini. atque hoc cauete; ne, ſi vos deſtitueritis, neceſſe ſit externa implorare auxilia, peregrinam efflagitare opem. Non iure oppugnor, ſed vi & factione aduerſariorum opprimor. non appellat me ius, aut æquitas, ſed compellit libidinoſius inimicorum furor. Vbi eſt* virtus Germanorum*? Vbi illa omnibus nationibus cognita, omnibus populis decantata* fortitudo *noſtra? Defendite omnes vnum, qui omnibus vnus laboraui: & iam eſſem. certe enim labor fuit ille meus, fuitque conatus: at vero* euentus moderari, ex Dei id voluntate eſt, non hominis voto. *mihi quidem perinde periculum eſt, ac ſi quod veſtra cauſſa pie volui, feliciter eſſem adſecutus. & iam enim eſſem in gratia Ro. Pontificis ego, niſi voluiſſem* in patriæ commodum, & publicam vtilitatem vertere, quicquid tot laboribus, tam dura ac difficili peregrinatione, tot per acerbiſſimos caſus: in tanta fortunæ aduerſitate quæſitum mihi & comparatum

eſt:

eſt: tot vigiles, *o Germani*, noctes, tot diurna nocturnaque paſſim itinera, tot exhauſtos labores, tot perpeſſas acerbitates, tam deſpicabilem toleratam paupertatem, tot annorum exſilium, quod in flore ætatis pertuli. *At ſuaſit hoc* veritatis ſtudium, *ſuaſit* patriæ amor. *Quo minus hanc ſinite officii impenſam perire mihi. Fructum laboris ferre liceat. vel idcirco, vt beneficium agnouiſſe videamini. Nondum accuſator fuit, nondum teſtis. non vocor ad iudicium; non crimen imputatur. tantum ad pœnam rapior, ad ſupplicium depoſcor. Sinitis indemnatum, indicta cauſſa occidi? & quum gladios Germania & laqueos habeat, quibus ſontes puniantur;* Romæ ſinitis occidi? *Si accuſabor, vobis* vnus iudicet, *ille communis Princeps* Carolus: *ſi conuincar, hic occidi detur. Non fugio iudicium. in medio veſtrum confidenter verſor. Tantum vim fieri ne permittite: ſaltem ob id, ne, ſi innocens peream iſtorum violentia, aliquando in mortuum fingant crimen. Hanc ne ſinite generi meo labem adſpergi, ſi me vtcunque tractari parum refert. hoc pro me* effœti ætate parentes *orant. hoc attoniti rei inſuetudine* adoleſcentes fratres *deprecantur. hoc* tota *vos* cognatio, *innumerabilis* amico-

rum

rum grex, *tot* doctisſimi homines, *tot* generoſi proceres, *orant & obteſtantur. Si* gloriæ veſtræ *conſului, Germani, vos ne* famam *negligite meam. ſi* laudis veſtræ *operator fui, vobis* ærumna mea *curæ ſit. ſi* veſtrum honorem *amplificaui, vos* meam incolumitatem *ne deſerite. Egone hinc diuellar infelix? ab hac terra, quæ me natum excepit? hoc cœlo, quod aluit? his hominibus, quorum tam ſuauis conſuetudo eſt? hos ego focos, has aras deſeram? neque in exſilium ibo, vt miſere viuam; ſed ad immane ſupplicium, vt turpiſſime peream, abripiar? Eſte auxilio populares! ferte opem! ne vincula ſinite indui mihi, qui repellere a vobis ea conatus ſum! Corroboratam quidem multa vetuſtate licentiam in meam tamen perniciem exirene patiamini? Officii præmium a vobis repeto, etiam beneficii debitum. Propulſate externam vim a populari, ab eo, qui de vobis bene meritus eſt; qui ſi noxius eſt, in vobis puniri ſuſtinet! Non libet accuſare, occidere licet. Quumque magnæ mihi honeſtatis conſcius ſim, de nulla vmquam turpitudine reus fuerim,* petor veneno, petor gladio, & Romam protrahor: *ne, quorum hæc mentes cogitant, eorum oculi voluptate ſe ſua fraudent. Quis veſtrum adeo durus, adeo eſt*

est adamantinus, vt ei non lacrimas exprimat hæc miseria? Tu Christe, qui omnia intueris, vindices ad hanc calamitatem oculos dirige! At vos, o Germani, defendite innocentem; vniversi quidem pro vno, sed communi tamen omnium caussa, dimicantes! An obscure præuidetis iam, quibus ex meo supplicio, quale præiudicium sit futurum? Atque igitur ne longius serpere exemplum præcauete! Mea calamitas vestrum periculum est: meum exitium vestra captiuitas. *Aperite oculos, Germani, & cognoscite, vbi versemini, & quo deducti sitis! Non accusor, quod male vixerim: sed,* quod bene senserim; *ob id vero* plector. *non citor reus, quod aliquem læserim: sed* quod læsos multos vindicare voluerim, supplicio deposcor. *Nemo in Hutteno culpat, quod alicui vim fecerit, sed quod* vim veritati factam, optima fide propulsare conatus sit. *Ergo non crimen meum est, quod* nouum *aliquod hic* incendium *excitauerim, sed bene meritum, quod* vetus hoc Romanæ auaritiæ, *nunc demum, quando in publicam perniciem longissime latissimeque diuagatur, restinguere sim adgressus. Nulla turpitudo obiicitur, sed summa honestas imputatur. Nemo mihi bonus inuidet: tantum oderunt mali. Ve-*

stram fidem, Germani, vestram integritatem! Probibete iniuria vincere eos, qui iure certare noluerunt! nec ab illis ferte, quod opprimar! qui ne vos opprimerent, ipse me interposui, meam vitam in discrimen conieci. Sed quid haec ego commemoro? Date hoc mihi, quod negatum adhuc nemini est: vt, si quis accuset, dicere caussam mihi meam liceat. Vetus hoc est, & intime insitum Germanorum consuetudini: indemnatum indicta caussa occidere, neminem, etiam ex infimis: neque aliter punire. Omnibus iudicium datur. de omnibus sententia fertur. *Ne hoc mihi negate, quod postremae conditionis hominibus datur, quod despectissimus quisque obtinet. Certe profecto, si dicenda caussa sit, vicero: si vi ac violentia decertandum, in vobis vt plurimum situm est, qualis futurus sim. Nam si vos defenditis, salua res est: sin deseritis, periculum quidem inerit: ego tamen conscientia fretus non desperabo. Equidem* in Domino speraui, & eripiet me, ne quando rapiat *Decimus Leo* animam meam, dum non est, qui redimat, neque qui saluum faciat. Iam enim circumdederunt me canes multi, & concilium malignantium obsedit me. susceperunt me sicut leo paratus

ratus ad prædam, ſed auertet Deus mala inimicis meis, & in veritate ſua diſperdet illos. quoniam ipſe liberabit me de laqueo venantium *Curtiſanorum*, & a verbo *Leonis Decimi* aſpero. *Furit is quidem, & ſtimulo cupiditatis ſuæ præceps fertur: ſed ita longe abeſt, vt ab eo tutus eſſe poſſim. Reliquum a Curtiſanis periculum eſt, Germani. hi inſtant, hi vrgent. quibus etſi iratus eſt Deus, tamen obſiſtere vos decet. nam* ſuorum manu impios punit Deus. *Prius miſere diuexarunt hanc nationem: nunc perniciem moliuntur, eis præſertim, quos* myſterium ſuum prodere *vident. Quod feretis Germani? neque vos huic furentium libidini opponetis? Atque vt plane intelligatis, a quibus inſidiæ mihi fiant, hi ſunt, quibus auctoribus, quibusque miniſtris ea fiunt: quæ ego niſi reprehendiſſem, iam ſaluus eſſem: ſi laudaſſem, etiam beatus. Hi, vt compiletur noue cottidie patria hæc, adiumento ſunt, conſilium dant, opem aduertunt,* impii Curtiſani, deteſtabiles Simoniaci. *qui iſtam miſcent abominabilem publice praxim, qua Chriſto illuditur, veritati fucus fit: Germaniæ non tantum, quando in pecunias eius & poſſesſiones impetus iſtinc fit, detrimentum adfertur, ſed populi etiam mores, peſ-*

ſimis inductis ab vrbe Roma exemplis, deprauantur. Ab ipſis enim ſunt iſtiusmodi malorum cauſſæ, *qui, quum tanto ſuo commodo miniſtri ſint Romani Pontificis, hoc faciunt poſſe illum, a quo longiſſime alioquin aberat. Horum opera fit, vt* regnet ſuperſtitio, vera exſulet pietas. *Hi animarunt Romanos Pontifices in tantum, vt* conſtitutionibus ad lucri ſui intuitum latis Euangelicam abolere magna ex parte doctrinam adgreſſi ſint. *Hi illam* alunt Romanam voraginem; *illum* paſcunt inſatiabilem *iſtic* gurgulionem, qui patrimonia hic noſtra deuorans, hanc illinc reuomit morum perniciem. *Atque hi effecerunt, vt hunc illi* nationi huic laqueum induerint: *quem vereor, ne haud ſoluatis, niſi deſtructis ſuis: ne haud, niſi aboleantur hi, enodetis. Hi ſunt quaſi quidam* in patriæ malum nati illices. *Hi* Romanæ menſæ aucupes, qui, quod Roma voret, capiunt: & capiunt tam nimis multum, quam non ſatiatur illa vorando. *Aperite oculos, Germani, & videte, qui* vos hic diſpolient. *qui* apud exteros infament, omnisque vobis malæ fortunæ, omnis deprauati ſtatus auctores ſint. *Atque ecce vobis* ſceleratos Indulgentia-

tiarum mercatores, ſacrilegos gratiarum, diſpenſationum, abſolutionum, & omnis generis bullarum inſtitutores, qui ſacrarum rerum mercatum in Eccleſia Dei inſtituerunt: *quum profanarum ille emptores & venditores templo olim eiecerit. Qui* iſtas architectant fraudes: illos concinnant dolos: vnde hæc eſt ſeruitus, hæc nationis huius captiuitas. *Qui* me impeditum reddiderunt: in has turbas, hanc inquietudinem coniecerunt. *Qui* hoc mihi diſcrimen, hoc periculum conciliarunt: *haud aliam ob cauſſam, quam* quia ſuas artes prodidi, crimina detexi, rapinis obſtiti, graſſaturæ impedimentum attuli. *Quoniamque per me quadam ex parte effectum eſt, vt* nonnihil ipſorum deceſſerit lucro, veræ pietati multum acceſſerit. Semper tumultum fugi: ſeditionis auctor eſſe nolui: *atque vt intelligatis, quam non fuerit meum conſilium, publicam iſtic ſtatim euerſionem moliri*, Latine ſcripſi, quaſi ſecreto admonens: *neque vulgum habere ſtatim conſcium volui: aut populares mox contingere aures: quamuis, cur hoc facerem* (f), *plus*

(f) facere hoc omnino cœpit paullo poſt, quum ipſam

plus satis caussæ haberem. nunc quia sanitatis capaces esse pie admoniti non videntur, sed fraternæ adhuc correptioni exitium obuertunt, nihil vel sic grauius consulam: tantum vim fieri, *queror,* mihi, & iniuriam fieri, *queror: vestramque, Germani, opem inuoco, vestrum auxi-*

psam hanc *Epistolam* in patrium sermonem transtulit, & *Vigiliis S. Michaelis an. 1520* edidit, sic insignitam. *Ein Clagschrifft des hochberümten vnd eernuesten Herrn Vlrichs von Hutten gekrœneten Poeten vnd Orator an alle stend Deütscher nation. wie vnformlicher weise vnd gantz geschwind, vnersucht oder erfordert einiges rechtens, Er mit eignem tyrannischen gewalt von den Romanisten an leib, eer, vnd gut, beschwert vnd benœtiget werde. Ein grosses dingk die warheit, vnd starck über alle. III Esdræ 4.* Lectorem ita ibi allocutus est Huttenus: *Sintemal ich auch verstanden hab, wie das etliche, mir zum nachtheil, meine bücher vnd geschrifft, bey den vnuerstendigen übel auslegen, vnd anders dann die an jn selbst verstanden werden mœgen, verteütschen, damit ich mich dann bey yederman alles verdachts erledige, vnd auch gemeinem mann,* wie billich *oder vnbillich ich gehandelt, vnd ob ich dem Bapst oder seinen Romanisten ye vrsach geben hab, mich oben angezeigter weis zu veruolgen, erkentlich sey, so hab ich mir fürgenommen, alle meine bücher, die ich bisher in Latin geschriben, vnd drucken hab lassen, darinnen dann (als ich nun erst sieh) dem Bapst seines gefallens nit von mir gelebt, in teutsche Sprach, so best*

auxilium imploro: non quidem, vt hos perdatis, sed vt me seruetis. Neque enim adhuc auctor esse volo, licet tot modis lacessitus, vt, quia male fecerunt, puniantur: tantum ne posthac faciant, caueri peto. Hoc si non orem ego etiam, ipsa *vtique* caussa *impetrare debuit.*

H 4 *Quae*

best ich jmer mag, vnd sich das schicken will, zu transferieren vnd auslegen. Dann ich gantz kein abschew trage, sonder beger von hertzen, das yderman wissen hab, welches die braut sey, darumb man mir tantzen zugemut. *So zweiffel ich nit, wo dieselbige meine geschrifft ins teutsch kommen (als dann, ob Gott will, bald geschehen sol) man werd erfinden, das ich anders nit, dann* erbarlich, eerlich, vnd als eim frummen von Adel nit vngebürlich, geschriben. *Das hab ich meiner notdurfft nach zuvor anzeigen vnd verkünden wollen. Vlrich von Hutten, qui supra.* Separatim etiam, nescio, quo loco ac tempore, bis, quantum scio, prodiit *Conquestio ad Fridericum Sax. El.* ab ipso auctore, nisi omnia me fallunt, *in Germanicum conuersa*, ac ita inscripta: *Vlrichs von Hutten verteutscht Clag an Hertzog Friderich zu Sachsen, des hayligen Roemischen Reichs Ertzmarschalk vnd Churfürsten, Landgrauen in Türingen vnd Marggrauen zu Meissen*, in 4. Postrema verba sunt: *Geben zu Eberburg, an der dritten Idus des Septembers, das ist am Dinstag nach vnser lieben Frawen Geburt tag. Im jar nach der geburt vnsers Hern. Tausend funffhundert vnd im zwenzigsten. Vnterteniger diener, Vlrich von*

Hut-

Quæ si quando ita cordibus vestris incesserit, vt oculis iam obseruatur, neque mihi querendi amplius caussa erit, neque vobis opem ferendi necessitas imponetur. Valete & videte. quarto calen. Octob.

DIRVMPAMVS VINCVLA
EORVM,
ET PROIICIAMVS A NOBIS
IVGVM IPSORVM.

Ebern-Hutten. Singulæ V *Conquestiones in Germanicam linguam translatæ*, coniunctim, in forma itidem 4, editæ exstant. quæ vtrum viuo nec inscio Hutteno prodierint, an hæ ipsæ sint, quas inuito ipso editas esse conquerentem modo audiuimus, equidem ignoro. enimuero nec locus, nec tempus, quo typis sint exscriptæ, additum est. Satis quidem prolixam in Huttenum *præfatio*, quæ iis præmissa est, declarat voluntatem: dignam idcirco istam censeo, quam integram adferam. *Ein vnbekanter Liebhaber der Gœttlichen VVarheit, vnd des Vaterlands, entbeüt allen freyen Teütschen Heyl. VVolauff, lieben frommen Teütschen, es ist Zeyt, das wir vnsere yetzo lang hær verlorne Freyheit widerumb zu erlangen vntersuchen. Hye habt ir den rechten anreitzer, der vns ob Gott wil, die grossen Hœpter, als Keiser, Fürsten, vnd den Adel zu hilff in diser Sachen erweken sol. Dorzu, vnd anderem seinem loblichen fürnemen, geb im Glück vnd Heyl der allmechtig Gott, welchem zu eeren, vns allen zu nutz vnd gut,*

Ebernburgi, vt videmus, Epiſtolas has ſcripſit Huttenus. De quo Hutteni & tot aliorum optimorum virorum *aſylo*, ac de iis, quæ poſtea illi euenerunt, priusquam agam, non poſſum, quin enarrem, quid cum *Hochſtrato*, quum in via obuiam noſtro factus eſſet, actum ſit (ff). Quum videlicet hic, vt ex præmiſſis Epiſtolis apparet, amicis, a quibus diligenter admonitus fuerat, de capite ipſius agi, & paratas eſſe inſidias, morem geſſiſſet, & ex *Brabantia* in *ſuperiorem Germaniam* ſeſe reciperet, accidit,

er diſes on zwyfel vorgenommen hat. Vmb gemeynes nutzs willen hab ich etliche ſeiner Schriffiten, als mir die zu henden kommen, aus dem Latin ins teütſch transferiert, ſo vil als die Zyer Latiniſcher ſprach (die in ettlichen nit zu verteütſchen iſt) hat leiden mægen. Gott geb eüch allen vil heyles, vnd ein beſtendig veſt gemüt, Chriſtliche warheit, vnd Freyheit des Vatterlands zu vorfechten. Hyeneben laſſent eüch den frommen Hutten befolhen ſein. Trotz Romaniſt!

(ff) Refert rem ita *Oth Brunfelſius* in *Reſponſione ad Eraſmi Spongiam* g, 3. vbi illum, qui a Pontifice in Germaniam miſſus fuerat, vt Huttenum vinctum Romam perduceret, aut poſtulato iure in carcerem coniiceret, *belluam ordinis Minorum* appellat, *quæ a tyranno Romano miſſa ac bullis ſuffarcinata Bruxellam tum venerit.*

vt Hochſtratus improuiſo in Huttenum, equitibus aliquot ſtipatum, incideret (g), & agnitus comprehenderetur. Tum ira hic excandeſcens illico: *heus te*, inquit, *ſceleratiſſimum & perditiſſimum mortalium! incidiſti tandem in optatas manus! qua nunc nece conficiam te, crudeliſſime nebulo?* & enſe exitium minitans: *Sta*, ait, *hominum peſtilentiſſime, inimice bonorum, hoſtis veritatis! non polluam meum mucronem tuo nequiſſimo ſanguine*. Tum miſer cucullio deſperans de ſalute & exanimis, procidens

(g) id *non procul Louanio* accidiſſe, ex *Croti Rubiani* ad *Doctorem Mart. Lutherum* Epiſtola, *Erfurdiæ* in peruigiliis *Nicolai* M D XX ſcripta, & ſeparatim inſequenti anno *VVittebergæ* in f. 8 edita, didici. *Periiſſet*, ſcribit ibi Crotus, *tum ſceleratus Colonienſium dux Hutteni gladio, ni indignam ſibi putaſſet Hochſtraticam mortem generoſi animi iuuenis: dimiſit trepidum ſanguineque carentem: ſed minis maximis in te* (Lutherum) *& Capnionem ceſſet perturbare.* V dies *Fuldæ* ſecum ſediſſe Huttenum, paucos dies poſt, quam cum *Hochſtrato* fuerit congreſſus, commemorat ſimul Crotus. ex cuius narratione iſta video, rem non *Halæ Saxonum*, vt priore Commentarii Parte, p. 177, *Iac. Thomaſium*, clariſſimum virum, ſecutus, retuli, ſed *Halæ* potius *Menapiorum*, *non procul* ſaltem *Louanio*, accidiſſe.

dens ad genua: *ignosce*, inquit, *ignosce, optime & strenuissime Huttene* (h)!

Quod vero ad *Ebernburgum* attinet: locus hic portus tum aliquamdiu ac fortunae nostri fuit perfugium: ex quo tempore ob imminentis periculi magnitudinem publico interdictum sibi viderat; vltro paternis suis possessionibus cedens. tantum enim abest, vt a cognatione proximis inde eiectus sit, quemadmodum *Erasmus* sub extremam nostri vitam perhibere non erubuit; vt ipse semper monuerit patrem, & posthac matrem viduam rogarit, fratresque obtesta-

(h) *Casp. Barthius* confirmauit laudato modo *Thomasio* (vt *Obseruat. Halens.* T. IV, p. 158 commemoratur) Huttenum equo desilientem improbo Hochstrato gladium intentasse, qui in genua prostratus rogauerit nobilissimum Heroem, *si quid intercessserit inimicitiarum, id calamo potius, quam ense, prosequeretur, homini iam imbelli parceret:* sic placatum Huttenum ac misertum, non adfixisse ipsum quidem, sed gladio tantum obliquo aliquoties verberasse. *Georg. Strigenitius* Concion. exsequial. XXXVIII, adfirmat, *Hochstratum*, in summo vitae discrimine versantem tum, pro salute sua deprecatum esse, altaque exclamasse voce: *Siue viuimus, siue morimur, Domini sumus.* quibus verbis auditis, respondisse Huttenum: *Propter hanc vocem parcam tuae vitae.*

ſtatus ſit ſuos, ne conflarent ſua cauſſa inuidiam, nihil nec operæ, nec impenſarum ſuppeditarent, vnde poſſent ab æmulis in ius vocari, vel in malam venire ſuſpicionem. Quid? quod, *quum mater tandem deceſsiſſet, atque ipſe primogenitus eſſet, & dominus caſtri, ac poſſeſsionum omnium, maluit tamen abeſſe, quam ſua cauſſa fratres aliquam accipere iacturam: adeoque non fuit ſollicitus de poſſeſsionibus, & patria, vt fere integro anno neſciret, quid de patria & rebus ſuis domi ageretur. Parens vetulus initio vehementer conatibus obſtitit, timens poſſeſsionibus, mox tamen placatus eſt. Fratres,* Frobenius, Laurentius, & Ioannes *ſic favebant, vt omnium maxime ſolus* Frobenius *architriclinus Epiſcopi obnitebatur, neque id fruſtra fortaſſe, quod facile ſuſpicari poteſt* (i). Equidem inimicorum potentiæ ita ceſſiſſe ſe, poſtrema iſta Epiſtola ſcripſit, vt interim tamen neque a *veritatis adſertione*, ad quam omnia referenda credidit, neque a *patriæ libertatis vindicatione*, pro qua mortem etiam haud formidavit, diſcedendum decreuerit. Nec vero

(i) Verba ſunt *Oth. Brunfelſii* in *Reſponſione* ad *Spongiam Eraſmi*, c, 7.

ro discessisse eum vmquam, quoad vixit, scripta, quæ ex specula hac, & aliunde insequenti tempore emisit, satis declarant. *Ebernburgum Francisci de Sickingen propugnaculum* fuisse, inter omnes constat (k). quantus vir & hic fuerit, illi etiam

(k) ad *Nauam* fluuium, non procul *Crucinacio* situm, hodieque in illustris Familiæ *de Sickingen* potestate est: *Hubertus Thomas Leodius* situm loci *in Historiola de Francisci a Sickingen Equ. rebus gestis*, infra citanda, dilucide descripsit: *Franciscus, mortuo Suickero patre, arcem ignobilem* Eberburgum *tantis munitionibus circumsepsit, vt ne omnibus quidem Romani Imperii viribus expugnare posse, diu vulgatum sit. In rupe satis euexa & vndique prærupta, præter ad eam partem, qua Cauro perflatur, consita est. Subiacet oppidulum versus septemtrionem, qua parte* Naua *fluuius in* Alzentiam, *qui a meridie arcem subluit immergitur: campus circumiacet, & Cerere & Baccho supra modum fertilis: ad meridiem vltra Alzentiam arx altera, vnde* Comites Rheni *cognomina habent, excelso monte dependet. subsunt argenti fodinæ, e quibus non parum emolumenti singulis annis suscipiebat.* Munitionem *Bartol. Latomus Arlunensis* in *Memorabili Franc. ab Sickingen Actione*, infra itidem nominatim commemoranda, his versibus expressit:

Fortis Eberbergi *cliuus, præcinctaque vallo*
Mœnia, stipatusque triplex latera ardua murus
Immensis operum obiicibus; quæque ipsa potentes
Obstupuere duces vasta molimina sedis.

etiam norunt, qui temporis istius, in quod ætas eius incidit, monimenta peruolutarunt. Huttenus noster virtutem Viri in *bello contra Vlricum Wirtemb. D. gesto* cognoscere cœpit (l): quam ex eo tempore coluit semper atque suspexit. præsertim quum *Lutheri caussæ*, quam Huttenus diligenter commendare ipsi perseuerabat, *fauere* haud fugitasset(ll). Quam aperte, quam fideliter is hoc præstiterit, verbosa Huttenus *Lutherum* edocuit *Epistola*. quæ quum ostendat præterea, quid *Imp. Carolus* in *Hutteni caussa* facturum se tum promiserit, quomodo tempus collocauerit hic in specula, quidque facere porro instituerit tum, inserere eam operæ pretium esse existimo (m). Alias, easque *ingenti in Rom. Pon-*

(l) vid. I Pars Commentar. p. 223, seq. vbi laudes, quibus iam tum prosecutus est cum Huttenus, memoraui.

(ll) quam amice is *Lutherum* inuitandum ad se curauerit, paullo ante intelleximus. *Franciscus Sickingus*, ipse *Lutherus* T. II Epist. p. 6, a. scribit, *per Huttenum promittit tutelam mihi contra omnes hostes. Idem facit Siluester de Schauuenberg, cum Nobilibus Franciscis; cuius litteras pulcras habeo ad me.*

(m) ex *Manipulo Primo Epistolarum singularium* (quas *Io.*

Pontificem spiritu æstuantes litteras, tribus circiter mensibus ante, ad *Lutherum* dedisse Huttenum, aliunde constat (n): quibus scripserat, *se iam & litteris & armis in tyrannidem sacerdotalem ruere; motum, quod Pontifex sicas & venenum ei intentarit, ac Episcopo Moguntino mandarit, captum & vinctum Romam mittere: O dignam*, exclamans simul *cæco Pontifice clementiam!* Illa *Epistola*, quam integram si attulero, operæ pretium facturum me spero, hæc est:

Verbi diuini præconi inuictissimo, MARTINO LVTHERO, fratri & amico dilectissimo, Vlrichus Huttenus Sal. Misertus profecto fueris, si videas conflictationes hic meas. ita est lubrica hominum fides. Dum noua auxilia contraho, desciscunt vetera. Multa quisque metuit, multa caussatur. Inprimis terret homines superstitio; *qua inditum animis est*, aduer-

Io. Frider. Heckelius ex αὐτογράφοις an. 1695, *Plavia Variscor.* in 8 edidit) eiusque 105 pagina, desumptam. quem libellum in paucorum oppido eruditorum manibus esse, certo scio.

(n) ex *Lutheri* ipsius ad *G. Spalatinum* epistola, Tom. I Ep. p. 28., b. qua extrema scripsit: *Nihil non tentabunt Romanenses; nec potest satis* Huttenus *me monere: adeo mihi de veneno timet.* Scripta est epistola *hac XI Septembr. an. 1520.*

aduerſari Romano Pontifici, *etiamſi iniquisſimus & ſceleratisſimus ſit*, facinus eſſe inexpiabile. *Connitor tamen: neque vmquam cedo aduerſis. Omnium ſolus conſtantisſime nos tuetur* Franciſcus: *quem tamen nuper vatillare pæne coegerant, qui monſtroſa quæpiam illi, quæ tu ſcripſiſſes, ſed numquam, arbitror, ſcripſiſti, perſuaſerant. Quod vbi comperi, ſtatim officii arbitratus ſum eſſe mei, id conari, ne tantum nobis præſidii occuparetur ab aduerſariis. Effeci hoc legendo tua; quæ ille pautisſima admodum ante vix deguſtauerat. Primo ſtatim vt docilem, quantum mea fieri potuit facultate, reddidi: cœpit arridere illi negotium. paullo poſt vt vidit, quo tu ex fundamento quam molem exſtruxeris;* hæc audet, *ait*, quiſpiam conuellere, aut, ſi auſit, poterit? *Paullatim magis ac magis incendi animum: adeo, vt iam ita deditum nobis habeam, vt nullam ſinat præterire cœnam, quin aliquid tuum, aut meum audiat. Eſt autem acerrimi homo iudicii; & quo tu ſine litteris doctiorem videris neminem. Tum quæ facundia, vt quodque accipit, efferendi & amplificandi! Meliorem hac in re adſertorem & aptiorem invenire non poteramus. Atque igitur ſunt, qui inuertere illum nobis conentur magno adſidue opere.*

pere. sed non perualituros certo scio. ita perspectam habeo hominis fidem. Quin etiam quum ab amicis quibusdam & necessariis tentaretur paucos ante dies, vt tanto in dubio positam caussam desereret, pertinacissime restitit, caussam se minime dubiam tueri *adfirmans: nam* Christi esse & veritatis. *praterea* reipubl. Germanæ competere, vt nostra accipiantur monita; etiam vt defensetur fides. *Nolo tamen latere te*, Luthere, *auctorem fuisse eum, quo ne aliquid in hunc vsque diem manu fecerim: sed eo consilio, vt quanto diutius contineam me, tanto fauoris plus accedat caussæ; tantoque magis insolescant aduersarii, putantes, victum & mole oppressum mea. Secutus sum monitorem amicum. Interim & apud* Cæsarem *egit* caussam meam: *qui illi promisit*, non passurum se opprimi me, neque indicta caussa damnaturum. *Iam hoc agitur, vt exspectemus*, proximo concilio *quid statuatur. Existimant omnes, de nobis tractatum iri magnis etiam concertationibus. Quod videbimus, quale futurum sit. Tu te confirma, & constanti animo veritati adhære.* In Cæsare *tamen* spei admodum est parum (o). *habet enim* sacerdotum

(o) id quod *Lutherus* dudum cognitum habuit: qui ant-

circa se magnos greges: *atque illorum quibusdam est obnoxius etiam; qui omnes ætate ipsius abutuntur ad consilia numquam ipsi profutura. At* Francisci opera solida est: *quamquam & Cæsarem, existimat ille, hoc Principum conuentu intellecturum tandem,* quid tribuendum sit infidis Pontificibus. *Et futurum, nonnulli arbitrantur, magnæ inter vtrumque insensionis hoc tempore initium, vbi suum officium* Franciscus *faciet.* Potest apud Cæsarem valde multum. *sed opportune adgredi parat. Quibus de rebus satis. Mitto* Bullam Decimi, *a me, quantum breuissimo per Christum tempore & diebus admodum paucis fieri potuit,* sugillatam aliquot locis. *Aiunt & te scripsisse: quod non magis vidi, quam alia, quæ narrantur circumferri. Quod miror, ad me cur non mittas statim tua, quum possis habere, qui ad Franciscum perferant multum*

antea, quam hæc epistola ab Hutteno ad ipsum scripta erat, ad G. *Spalatinum* T. II Ep. p. 7 scripsit: -- *exspectamus reditum vestrum felicem quotidie, cum multis nouitatibus & vna* vetustate, *quæ est*, Aulam Carolinam nullius spei esse. *Gaudeo Huttenum prodiisse, atque vtinam* Marinum *aut* Aleandrum *intercepisset.* De his infra mentio fiet: quid vero Huttenus de hominibus hisce facere tum decreuerit, coniectu forsitan hodie difficile nobis est.

tum facile. Scribitur & Dialogus Bulla *mihi, festiuitate arbitror non inurbana. quem, editus vt fuerit, accipies statim. simul* sæculare Brachium *tracto.* Exclamaui *&* in tuorum Librorum Incendium versibus Latinis & Germanicis: *vtrosque mitto. item* Poema Germanicum, *propter quod nullam satis pœnam arbitrantur sacrifici, qua plectar. ita ferunt, omnes honestatis limites egressum me. Quod Christus iudicet, quid Reipubl. suæ profuturum sit: qua via his malis mederi oporteat. Illi quidem diu iam damnatum pronuntiauerunt: sed spero,* absolui a Deo, quos ipsi damnauerint. *Arserunt tua iam ter. Quid tum? igitur a nostris partibus discedunt homines? Immo verum scribo tibi,* Luthere, *magis incensa multitudo est, magisque inflammata. Tantum illis profuit, vnam atque alteram chartulam exustam curare. Quin etiam* parum abfuisse, Moguntiæ vt lapidibus obrueretur Aleander, *amici scribunt. Qua de re quamdam statui edere satis prolixam Epistolam, in qua rem totam sum complexus, vt in illo incendio successerit eis.* Tuum nomen apud omnes hic venerabile est. *Quid agatur istic, facies opera pretium, si copiosissime huc perscribas, & quid in quoque*

spei sit, quid libere quisque audeat. Spalatino *scripseram*, Principis animum vt exploraret, *mihique, quantum liceret, ea de re perscriberet. Scire enim cupio*, quid in ipso præsidii sit. *Non tibi enim iam hoc habere cognitum videor, sed iis etiam, qui manum opponere & arma huic negotio volent. Quod insta & ipse, oro te. Nescis enim, quantum futurum sit in rem nostram*, si vel auxilio ipse armatis esse velit, vel conniuere ad pulcrum facinus: *hoc est*, vt nobis liceat, intra suam ditionem quærere diuerticula, *si quando res poscat. Ipsum hoc vbi rescivero, statui aliquando inuisere vos. Nam diutius videor continere me non posse, quin, vt videam te, quem sic* ob virtutem amo, *aduolem. Hæc celeriter. nam diligentem esse non licuit, quum properarem.* Franciscus *amicissime salutat te, iubetque esse saluum & sanum, etiam animo auctum. Et tu ex me vale, frater carissime atque optime. Ex* Ebernburgo, *V Idus Decembr. saluta* Philippum, Spalatinum, Facchum *& omnes nostros.*

PSa. *Quia suspicatus sum, scripta mea curaturum te denuo istic edi, mitto* exemplaria emendatiora, *vnde describantur per*

per Notarium. Rescribe ocyssime & copiose. Capnion *huc veniet propediem. Ita factum rescripsit* Francisco. Prædicatores trepidant. *Videbimus rei euentum.*

Multa sane luculenta hæc Epistola de quibusdam Hutteni *Lucubrationibus* me edocuit. absque ea enim si fuisset, credidissem plane, istas insequenti demum anno publici iuris factas esse; siquidem nulli prorsus earum tempus, quo lucem adspexerit, adscriptum est. quas vero ipso hoc ferme, quo Epistola conscripta est, tempore emissas esse, ex hac cognoui. Summam Hutteni nostri industriam magnopere mecum admiraberis, spero, Lector. Nam quis putet, fieri posse, vt homo tot & tantis damnationis minis, tot itinerum molestiis exagitatus, in tam præsenti periculo versans, *tam multis scriptis conficiendis edendisque par esse queat?* Par nihilominus, vt videmus, exstitit noster: qua ex re liquido iudicari potest, quantum in Viri *animo roboris* fuerit, quantum *neruorum.* Sed de singulis Lucubrationibus, quarum in Epistola ista mentionem fecit, breui agere animus est.

Prius vero quam id a me fiat, de *scripto* quodam *Germanico* agendum videtur; quod ab Hutteno, antequam istam ad Lutherum misit Epistolam, editum esse, arbitor: quin *vicesimo* certe saeculi *anno* prodierit illud, non dubito (p); quamuis auctor tempus addiderit nullum. Ipsum scriptum est: *Herr Vlrichs von Hutten Anzæig wie allwegen sich die Ræmischen Bischæff, oder Bæpst gegen den Teutschen Kaysseren gehalten haben, uf das kürtzst vß Chronicken vnd Historien gezogen, K. Maiestat fürzubringen. Jch habs gewogt* (q). Argumen-

(p) nec dubitauit *Abrah. Scultetus*; vtpote qui *Annal. Euangel. renou.* pag. m. 32, b. *libelli* huius mentionem fecit, velut *an. 1520. editi.*

(q) *Quinque diuersae* libelli huius *editiones* in bibliotheca Augusta Wolfenbüt. adseruantur: quarum vna sic inscripta est: *Kurtzer Auszug, wie bœslich die Bepste gegen den Deutschen Keysern iemahls gehandelt, das billich, auch nur vmb der gewonheit willen, kein Keyser einigen Bapst mehr vertrauen solt, er wolle denn gern betrogen sein.* alia *annum* prae se fert *1545.* quatuor tempus, quo prodierunt, haud indicant; nulla plane locum. vna ex his *tricennalis belli* tempore lucem adspexisse videtur: quae vero errat, quando in fine adscriptum habet: *Aus dem zu Augspurg Anno 1517 bey Siluanus Otmar gedruckts Exemplar ietzo aufs neu nachgesetzt:* Carolus V enim, quo

mentum libelli non obſcure ex hoc eius *Proœmio* cognoſcere licet. *Iſt (als einer von den weyſſen ſagt)* der ſelig zu achten, der mit eines anderen Schaden weyſſ würt, *ſo iſt auch der nit am minſten glückſelig zu halten*, der mit geringen Schaden vſſ einem vnglück kompt. *dardurch er vnderweyſſt, darnach in ſeinen ſachen fürſichtiglich handeln mag, vnd mit bedenckung des vorigen fals, ſich vor zukünfftigen fællen hüten. Wo aber einer were, der beyderley geſtalt, als durch frœmbden, vnd auch ſeinen eygen ſchaden gewarnet, ſich doch nicht fürſehen wolt, vnd alle vergangene ding zu vergeſſz ſetzet, ob es demſelben übel gieng, würden ſeine freünd, vnd die jm gutes gœnnen, ſich über jn erbarmen, ſeine feynd daſſelbig irem glück zuſchriben. die aber weder freund noch feynd, ſprechen, jm wær recht geſchehen, das er dermaſſen vnderweyſſt, dennocht in irrthumb freuenlich vnd mit freyen*

I 4 *willen*

quo imperante libellus emiſſus eſt, anno 1519, vt inter omnes conſtat, imperare cœpit. Singulæ de reliquo editiones iſtæ, & quam præter V diuerſas illas alibi, quam in bibliotheca laudata, conſpexi, in f. 4 prodierunt. Reperitur quoque libellus in *Melch. Goldaſti Politiſchen Reichshændeln*, *Frf. 1614.* fol. p. 429, ſeqq. in Latinum ſermonem conuerſus legitur in *Io. VVolfii Lectionum Memorabil.* T. II. p. 91. ſeqq.

willen gefallen. Demnach ist Kayserlich maiestat zu ermanen, das sye erstlich bedenck, was ir selbst geraid vom Bapst begegnet. Daraus sich zu vernemmen, was sye sich hinfürter lyebs, guts, trewen vnd glaubens versehen soll. Darnoch aus alten historien vnd geschichten der vorigen Kaiser bericht zu nemen, wie es den etwan ergangen: so würt sye finden, das keinem teutschen Kayser, von Bæpsten (es were denn zu irem eygen nutz beschehen) gleichs ye widerfaren ist, sonder seint die offt iæmerlich über ir handtgegeben trew vnd glauben, von den betrogen vnd verraten, allweg vnder einem schein der geistlichkeit vmbgefürt, vnd darnach zu spott vnd schanden bracht. Etliche auch für ire gethane wolthat schændlich vnd böslich gehandelt, als mit hand vnd waffen angefochten vnd überfallen. das dann von einem zum anderen in der lenge zu erzelen vil zeyt haben wolt, mag aber oben hyn, vnd die græsten Stuck zu melden, dermassen wie hernach volgt, angezæigt werden.

Aperte & ingenue multa in *extremo* etiam *libello* monuit auctor, in hunc modum: *Dise Stuck seind vff das kürtzest vß vilen gezogen. dann von den listen vnd vntrewen, so die Bæpst den frommen Teütschen Kaysern bewisen, grundtlich zu sagen, wolt lange zeyt nemen*

nemen, vnd zu einem grossen buch erwachsen.
Vff das aber K: majestat nitt mit vil worten überfallen vnd bemühet werd, ist ir solichs erstlich in der kürtze anzuzœigen: vnd darnach, vff das sye nit wider hinder sich rechnen dœrff, ist ir zu bedencken, was irem anherren den frœmen Maximiliano *widerfaren ist. Den habent sye mit mancherhand listen angangen, jm nye kein glauben gehalten, keiner eyd noch pflichten volg gethan. Also das man vß seinem mund gehœrt, do jm diser bapst* Leo *sein glauben, wie andere vormols auch, gebrochen:* Nun ist diser Bapst auch zu einem bœßwicht an mir wordenn. nun mag ich sagen, das mir kein Bapst, so lang ich gelebt, ye trew oder glauben gehalten hat, hoff ob Gott wil, dises soll der lezt sein. *Des jn auch Gott gewæret. dann Gott hat bald darnach über jn gebotten. Diß ist K. majestat zu behertzigen, vnd in alle weg zu trachten, wie sye sich vor sein truglichen nachstellungen bwar vnd verhüte: jm nichts vertraw, sich in keinem weg vff sein schmeychelhafftig erbyeten oder zu sagen verlaßz. Dann das der Bapst insonderheit dissen vnsern allergenædigsten Herren, Kayser* Carolum, *zu fellen vndestee, ist daraus zu gedencken, das er ein Legaten über*

den anderen zu jm ſchicket, jn auch mit Biſchœffen vnd Cardinælen (die den Bapſt alle verpflicht vnd zu gut handeln werden) bebenckt vnd überfürt. Dann er hatt erſehen ſein jugent, als die zeyt ſo betrüchligkeit am vnderwürfflichſten: do ſteet fleyſſig jnſehens zu haben. vnd darff ye ir maieſtat nit hoffen, das ir die Bæpſt meer denn zuuor anderen Kayſeren glauben halten werden. Dann ſolt das ſchon ſunſt müglich ſein, ſo iſt es doch zu diſſem Bapſt nit zu hoffen: der ſich geraid, wes er geſinnt, erzeigt, jn mit allen krefften der künigklichen chur zuuerhindern vnderſtanden. So jm aber ſolichs, vnd was er offentlich feyndtlicher weyß, gegen ſeiner maieſtæt fürgenommen, nit hat wœllen für ſich geen, iſt er nun mit rat (als nit zu zweyfeln) ſeiner florentiner, (vor deren næmen ſich auch zu fœrchten iſt) vff diſſen weg kommen, meynet jn vnder einem ſchein der freüntſchafft mit liſten zu fellen. vnd das am meyſten vß der vrſach, das er ſycht, wie es ſich allenthalben darzu ſchicke, das die Teütſchen von der Bæpſtlichen ſchynderey vnd beſchwernuß erlediget von dem joch, ſo jn vnbillichen vffleget, erlæſſt werden mügen. Darumb ſoll K. maieſtat ſich vnderweiſſen laſſen, das ſye ſich den Bapſt nyemer mit guten worten dahin reden laſſz, das ſye die jhnen

ſo

ſo zu ſolichen dingen dem gantzen land, vnd aller Chriſtenheit zu gut vermanung thun, veruolgen vnd vſſtilgen laſſz. dann ye erkant werden muſſz, das doctor Luthers *vnd* mein ſchreiben jrer Majeſtæt, der gantzen Teütſchen nation zu eeren, nutz, frommen vnd wolfart reychet. *Wor iſt es, das vilen Kayſern, die auch gern Teütſchen land geholffen, vnd ſein freyheit gern widerbracht hetten, doran gefælt, das ſye nit gehabt, die ſye vſſ grund der ſchrifften diſſer ſachen, wie vonnœten, bericht hetten. Dann* es wiſſen wenig, wo dem Bapſt ſein hertz ligt. *Ob es dann ſchon ettlich wiſſen, ſeind zum theyl geiſtlich, zum teyl haben ſye nitt den mut, das ſye es ſagen vnd offenbaren gedærffen: færchten die Bæpſtliche tyranney. So es nun darzu iſt kummen, das leüt ſeind, die das wiſſen, vnd dærffen yederman zu gut, vnd ſonderlich K. Maieſtat zu eeren vnd nutz die worheit herfür bringen, ſol man die nit allein nit verfolgen, noch doran gehindert werden laſſen, ſondern meer ſoll man ſye fürderen, jn darzu helffen vnd raten.*

Eo, vnde diuerti, redeo: ad eas videlicet Hutteni *Lucubrationes, quas* ipſe in *Epiſtola ad Lutherum* ſcripta, *commemorauit.* Quod primum ad *Bullam Leonis P.* quam

quam *aliquot locis sugillatam* ab se esse, scribit, attinet: hæc cum Hutteni *marginalibus notis* in 4. prodiit, sic inscripta: *Bulla Decimi Leonis contra errores Martini Lutheri, & sequacium. Adstitit Bulla a dextris eius, in vestitu deaurato, circumamicta varietatibus. Vide, Lector, operæ pretium est. adficieris. cognosces, qualis pastor sit Leo* (r). Satis in præsenti habeo, *binas Hutteni Epistolas*, vnam *ad Germanos* scriptam, quam Bullæ præfixit, alteram, quam huic subiecit, *Leoni Po.* inscriptam, eamque acerbam satis, adferre. *Vlricus de Hutten, Eques, Germanis omnibus Sal. Ecce vobis* Leonis X Bullam, *viri Germani, qua* remergentem *ille* veritatem Christianam *remorari conatur, quam* respiranti, *longa tandem compressione*, libertati *nostræ, ne vires recipiat, ac plane reuiuiscat, obiicit & oppo-*

(r) Separatim initio prodiit, adiecta deinceps Tomo II *Op. Lutheri Latin. VVitteb.* ed. p. 51 seq. *Marginales notas Iac. Ben. Bossuetus* Lib. I de *Variat. Eccles. protest.* § 26, *Luthero* falso tribuit. vid. ill. *Seckendorf.* Comment. de *Lutheranismo*, lib. I. §. LXXIV, (2). *Salsissimis in Papam notis* Bullam istam postulasse Huttenum, qui varia in hanc rem meditatus tum sit, ipse *Lutherus* in epistola ad *Io. Staupitium*, T. I, Ep. p. 299, b, professus est.

opponit. Cui nos talia molienti non obsistimus? aut publico consilio, ne longius peruadat, neve aliquid pro hominis irrequieti cupiditate & audacia efficiat, multo ante cauemus? Quaeso vos per immortalem Christum, quando opportunum magis tempus fuit, quando melior occasio dedit se aliquid Germano dignum nomine *gerendi? Omnia videtis eo tendere, vt spes sit, quanta numquam prius*, exstinctum iri hanc tyrannidem, *isti morbo medicinam adfuturam. Quod audete tandem ac perficite! Non* Lutherus *agitur hoc in negotio, sed ad* omnes *pertinet, quicquid est. Nec in* vnum quempiam *hic stringitur gladius, sed* publice *oppugnamur. Nolunt reclamari suae* tyrannidi, *suas* fraudes *detegi nolunt, suosque aperiri* fucos, *suo* furori *obsisti, suae* grassaturae *impedimentum fieri. Hoc ipsum est, quod indignantur, quodque fremunt vsque adeo, vt se minime decore agant ibi. Quod manifeste videntes vos, quid tandem agetis? quod consilium inibitis? Me quidem si audietis,* Germanos esse vos memineritis. *Quae vna commonitio satis esse debet, vt haec vindicetis. Ego nunc vestro & communi nomine periclitor, sed libenter: primum enim facti conscius mihi sum pulcherrimi: deinde non spero iam, sed pro cer-*

to

to habeo etiam, omnes vos eadem aliquando ausuros mecum. Hæc vero Bulla *vt publicaretur nunc, auctor fui ob id, vt quum legeretis*, facile ab vna disceretis omnes. *Valete. Quæ* Bullæ *subiecta est* Epistola, Leoni inscripta, *hæc est. Hæc super* Bulla *tua habuimus*, Pontifex Leo, *quam præstabat Romæ contineri apud sanctum Petrum, vt perpetuo lateret, quam tanto cum pudore (si te modo pudet dedecoris) foras & in lucem emitti. Quare ne non semper aliquid recte moneamus te, pretium operæ est, isti tuæ licentiæ modum statuere, & petulantes huius generis Bullas frenare, ne plus æquo se effundant.* Paulus *iubet* etiam a specie mali abstinere te. *tanto minus debet*, apertum *te* offendiculum præbere populo Christiano, *cui iam persuasum ipsi quoque est, in* Germania *præsertim*, ex Pontificalib. constitutionibus, vt numi vulgo sunt, tanto quamque deteriorem esse, quanto sit recentior. *Noli vero commutare* veritatem Dei *in* mendacium; & humanas *vestras* constitutiones *ab auaritia & ambitione depromptas*, diuinis *præferre* mandatis, & Dei verbo. *Illud inprimis desiste*, amore lucri, diuinæ scripturæ sensum iniquis detorquere

mo-

modis, *& ab se alienum reddere, ac* fascinare fidelium mentes, ne veritati obediant. *Nam quid conaris tam manifestis tuis* flagitiis boni speciem inducere? *quum possim, si in concertationem me perduxeris, vnum* in Germania Episcopum *ostendere omnibus, a quo* vi ac fraude extorsisti quater sexagies mille aureos. *Est hoc* tondere oues? *Aut* spelunca latronum *facta est* domus Domini? *Tandem cupiditatibus tuis obsiste, atque istam tempera rapacitatem tuam, confidens in verbis mendacii, ac dicens cottidie:* Templum Domini, Templum Domini! &: Pax, Pax! quum non sit pax. *Nam vt hominum genus fallas, his fraudibus non potes illum latere cordium scrutatorem, qualis sis. Memineris vero* flagelli inundantis, *vbi transibit, ne veniat super te, &* pseudecclesiam *istam tuam, totamque semel conculcet pessimorum Romæ hominum colluuiem. Quid enim Romæ habes præter* infinitum *illum* musicorum *tuorum, &* adsentatorum gregem, *nisi meros* fures, *meros* impostores, fraudatores, prædones, *aut aliter* malos homines: *qui quasi* aucupes *ponunt laqueos, & pedicas ad capiendum cottidie hinc aliquid? Parcius præterea*

laces-

lacesse veritatis adsertores, *ne malum vltro tibi concilies! Iam hoc enim clamant cum* propheta *passim multi:* Quia corruit in plateis veritas, & æquitas non potuit ingredi: & facta est veritas in obliuionem; & qui recessit a malo, prædæ patuit. *Quare meum est consilium, ne vmquam in mentem veniat tibi,* vlterius persequi Lutherum, cum iis vna, quos ille commouit. *Plures sunt enim, quam vt vel tibi, vel vlli Episcopo liceat tantum animarum, si possitis etiam, perdere. Vides iam ante mussitatum esse passim contra te, quod tam leuiter & nulla de caussa istud tuum* fulmen iaculeris: *quod non consideras, si in contemptum aliquando venerit, quantum offendiculi vulgo pariturum sit. Igitur mansuesce, & caritatis non ficta illius, sed Christiana & sincera officium fac! Exhibe te* formam *nobis* ad imitandum: *ac illud cura, non vt* explearis *tu, sed vt nos* pascamur! *Quod vbi decreueris, tum* scientia *posthac pasce nos &* doctrina, *non* Bullis! *iam pertæsum est harum enim.* Indulgentias *vero tuas nauseamus, vt æque nihil.* Pontificiæ dotes *sunt* sapientia, puritas, castitas, & rerum omnium contemptus. *Has amplectere. Sic enim fiet, vt colat te Germania,*

nia, quum amare viderit, non oppugnet, vbi terrere persenserit. Decet autem beneuolentia vincere te omnes; vi cogere neminem. Hæc libere: *sed* vere, vt & res sunt, & tempora ferunt. *Vale. ex Germania.*

Dirumpamus vincula eorum, &
proiiciamus
a nobis iugum ipsorum (s).

In Incendium Lutheranum Exclamationis, cuius mentionem itidem iniecit Huttenus in Epistola sua ad Lutherum data, initium hoc est:

Ergo tot insomnes rapient incendia noctes?
Sanctaque veriloqui morientur scripta Lutheri?
Hoc flammæ dederint scelus? hoc peccabitis ignes?
Auxilium ferat vnda piis, cadat imber ab alto,
Exstinctum ferale malum!

Germanici vero *versus*, quibus *contra idem*

 faci-

(s) Magnam adductus paullo ante *Bossuetus* excitavit c. l. tragœdiam, quod auctor notarum marginalium, quem ipsum *Lutherum* esse, crediderat, *verbis* his ex *Ps.* II *contra Pontificem* vsus sit. at verbis malorum in bonum sensum adhibitis vti omnino potuisse auctorem, ill. *Seckendorf* lib. I *Lutheran.* § LXXIV (2), ostendit.

facinus eodem tempore exclamauit, talem præ se ferunt titulum: *Eyn Klag über den Luterischen Brandt zu Mentz, durch Herr Vlrich von Hutten* (f).

De *Poemate Germanico*, in quo *omnis honestatis limites egressum esse* auctorem, & *grauissima idcirco pœna adficiendum* hunc censuerunt aduersarii, vt dicam, quod sentiam; hoc indicari, puto, quod sic inscri-

(f) aliquoties vtraque *Exclamatio*, & *Latina* & *Germanica*, tam coniunctim quam separatim prodiit. *Germanica editio* exstat, quæ hac notata est inscriptione: *Ain clag über den brandt der Luterischen bücher zu Mentz* &c. *Latina* continetur etiam T. II *op. Lutheri Lat. VVitteb.* ed. p. 184. adscriptus quidem ibi est *annus 1521.* primam tamen editionem anno priore lucem adspexisse, ex Hutteni ad Lutherum Epistola coniicio; nisi Huttenus Exclamationem, non typis exscriptam, sed manu exaratam *anno vicesimo* ad Lutherum misit. *Latinæ* Exclamationis huius *editio* accessit quoque volumini, quo continentur: *Chunradi Sartoris Saxofranci, de eadem re ad Germanos Oratio. Carmen elegans & doctum in Hieronymum Aleandrum, hostem Germanicæ libertatis. Conclusiones decem christianissimæ per Andream Bodenstein, de Carlostad, VVittebergæ disputatæ.* quæ in f. 4 coniunctim prodierunt, tempus & locus, quo editum est volumen, neutiquam indicatus est. *Hutteni Exclamatio* primum obtinet inter. scripta hæc locum.

ſcriptum editum eſt: *Clag vnd vormannung gegen den übermæſſigen vnchriſtlichen Gewalt des Bapſts zu Rom, vnd der vngeiſtlichen geiſtlichen, durch herren Vlrichen von Hutten, Poeten, vnd Orator der gantzen Chriſtenheit, vnd zuuoran dem Vatterland Teütſcher Nation zu nutz vnd gut, von wegen gemeiner beſchwernuſs vnd auch ſeiner eigen nottdurfft, in Reymensweyß beſchrieben. Iacta eſt alea. Jch habs gewägt* (ſſ). Argumentum totius Poematis non ita obſcure ex hoc eius initio cognoſcere licet.

Jch wolt gern (dœrft ich) füren clag,
ein yederman die worheit ſag,
gemeinen irrthumb machen clar,
vnd vil gebrechen offenbar,
dadurch diſſ Nation beſchwert,
gantz teütſches land vertrucket hert,
die ſitten werden gar verkert.

(ſſ) in 4. annus, quemadmodum ſupra monui, *binis editionibus*, quas peruolutaui, adiectus non eſt. *Verboſum* ſatis *Poema eſt, ex VI plagulis conſtans.* alteri editioni, quæ recentior paullo altera videtur, *Hutteni librum euoluentis, loricati* tamen ſimul *laureaque ornati effigiem* præfixam habet; adiectis verbis: *Dirumpamus vincula eorum, & proiiciamus a nobis iugum ipſorum:* quæ ipſa verba alterius editionis fini addita ſunt.

So ſeind die menſchen ſo verblendt,
das man die warheit nit erkendt,
vnd achtet aberglauben mer,
dann Chriſtenlich vnd gottes ler.
Dann vvo der vvarheit einer pflegt,
gar bald man ſich entgegen legt,
damit vvird ſolichs vnterdredt.
Hat einer dann zu weyt geredt,
Die geiſtlichkeit gegriffen an,
den helt man für ein bœſen man,
vnd ſchuldiget jn der Ketzerey. ---
Latein ich vor geſchriben hab,
das vvas ein yeden nit bekandt.
yetzt ſchrey ich an das Vatterland
Teütſch nation in irer ſprach,
zu bringen diſen dingen rach. ---
Des vvil ich ſagen vrſach auch,
den Teütſchen muſſz man diſen rauch
vord augen blaſſen, der ſye blendt,
tas trügerey bleib vnerkendt.
Vnd vverden Bullen tevver gnug.
dann vvo diß Nation vver klug,
So hett das Euangelium
vor diſen fabeln ſeinen rum. ---
Den Fürſten ſchickt man Roſen her,
die nements an mit groſſer eer
dargegen übergebens vil:

iſt

ist keiner der das mercken vvil,
vnd vvürffr die Rosen an ein vvend,
das solcher btrug mœgen haben end.
vvo hatt man grœsser narren ye
gefunden in der vvelt, dann hye?
Also ist Hussen vvorden glont
Hieronymo vvard nit verschont,
vmb das er hett ein gleiche sach.
Seidhar hat niemand gvvœlt hyn nach.
Vnd fœrchten all des fevvers pen.
bis yetzo vnser rüffen zvven.
Wer vveissz vvas yeden ist beschert,
vvir haben yè vil leüt bekœrt.
Darum ich hoff, es hab nit not.
vver mir dann schon gevvissz der dot.
noch vvolt ich als ein frommer hilt,
bey vvarheit setzen spieß vnd schilt,
vnd den Tyrannen vviderstreben,
vor vvelchen niemants frey mag leben.

Clausula acris oppido Poematis denique est:

Des hoff ich mancher ritter thu,
manch graff, manch edelmann darzu,
manch Burger, der in seiner statt
der sachen auch beschvvernuß hat.
Vff das ichs nit anheb vmbsunst.
Wolauff vvir haben gottes gunst.

Wer vvolt in solchem bleiben dheim?
Jch habs gevvagt, das ist mein reim.

Priusquam de *Bulla*, vrbanæ maxime festiuitatis *Dialogo*, in quo conficiendo occupatus tum fuit auctor, quum istam suam ad Lutherum exarauit Epistolam, agam, temporis ordo, quem vt in reliqua nostri vita, quemadmodum par est, persequenda, ita in lucubrationibus etiam eius commemorandis, sequor, de illis *Dialogis*, quos initio ipsius huius Commentarii Partis nominatim percensui, agerere denuo iubet. vtpote quos, summi sui defensoris *Francisci de Sickingen*, potissimum caussa *in patrium sermonem conversos, ineunte sæculi anno XXI*, atque ita prius, quam Bullam edidit, emisit; *strenæ loco* ipsi oblatos. Perquam luculenta præfixa iis legitur *Dedicatio*: quæ quum aperte maxime ostendat, quantum fortissimo huic Equiti Huttenus vltro debuerit, non ingratum facturum me tibi existimo, Lector, si & huius cognoscendæ copiam tibi fecero (st). *Dem edlen*

st) *Quatuor* dumtaxat in patrium sermonem conuersi sunt *Dialogi* (*Fortuna* enim omissa est) ita inscripti

len, hochberümpten, starckmütigen, vnd ernvesten Frantzen von Sickingen, *Key. ma. rat, thiener vnd Haubtmann, meinem besondern vertrawten vnd tröstlichen guten Freünd, entbeüt ich* Vlrich von Hutten *meinen freündlichen Grus vnd willigen Dienst. On vrsach ist das sprichwort* (In nöten erkennt man den Freünd) *nit in gebrauch kommen. Dann worlich darff nyemant sagen, das er mit einem freünd verwaret sey, er hab dann den in seinen nottürfftigen anligenden Sachen, dermassen, das er jn innwendig vnd auswendig kenne, versucht vnd geprüft. Wiewol nun der glückselig zu achten, dem nye vonnöten ward, einen freünd diser gestalt zu probieren, mægen doch auch sich die*

pti: *Gesprach büchlin Herr Vlrichs von Hutten. Feber das Erst. Feber das Ander. VVadiscus oder die Ræmische Dreyfaltigkeit, die Anschawende.* vbi impressi sint, indicatum non est. Memorabilis simul in prima pagina, siue in ipso titulo, conspicitur *effigies:* quæ in summa pagina, a dextra *Deum omnipotentem sagittas in terram intendentem*, a sinistra *Regem ac Prophetam Dauidem*, ante oculos ponit, hisce verbis supra scriptis: *Exaltare, qui iudicas terram, redde retribut. superbis.* in media pagina, circum ipsam Libelli inscriptionem, *Lutheri* atque ipsius *Hutteni simulacra* expressa sunt: illi subscriptum est: *Veritatem meditabitur guttur meum*

der gnaden Gots berümen, so in ihren nöten beständige vnd harthaltende Freünd erfunden haben. Vnder welchen ich mich dann nit wenig Gott vnd dem Glück zu bedancken hab. Dann als ich vff das ausserlichst an Leib, eeren vnd gut, von meinen feyhenden genötiget, so vngestümmigklich, das ich kaum freünd anzuruffen zeyt gehabt, bist du mir nit (als offt geschicht) mit tröstlichen worten, sonder hilfftragender that begegnet. Ja mag ich (als das sprichwort ist) sagen, von himmel herab zu gefallen. *Heyerumb ist wol die freüntschafft deren, die sich zu guten vnd glückhafftigen zeyten beweisen (wiewol die mer ein lustige geselschafft, dann wore freüntschafft genennt werden mag) dannocht nitt zu verwerffen. Aber ich hab vnder den zweyen eben den vnderscheidt, den die artzt vnder den speisen. denen etzliche allein süss vnd*

meum. huic: *Perrumpendum est tandem, perrumpendum est.* in inferiore denique pagina hæc verba leguntur: *Odiui Ecclesiam malignantium:* & infrà hæc a dextra *Cohortes atque turmæ Nobilitatis Germanicæ*, a sinistra *Pontifex Ro. vna cum Cardinalium suorum ac Monachorum turba a Nobilitate ista pulsus fugatusque*, compareret. Lectorem *rhythmis* his compell'auit Huttenus:

Die warheit ist von newen geborn,
Vnd hat der btrugk sein schein verlorn.

Des

vnd schmackhafftig, etzliche auch darzu gesundt vnd heylsam seint. So ist es mir darzu kommen, das nit lustigs geschmacks, sonder heylsamer artzney, nit frœlichs beywesens, sonder gewærtiger hilff bedœrfft, hab alsdann dich (ich achte aus gœttlichen zuschicken vnd versehung) funden, der nit geachtet, was ein yeder von meiner sachen rede, sonder wie die an ir selbs gestalt, behertziget. Hast dich nit durch schrecken meiner widerwertigen, von verfæchtung der vnschuldt abzyehen lassen, sonder aus liebe der warheit, vnd erbarmnus, meiner vergewaltigung, für und für über mir gehalten. Vnd do mir aus grœsse der far, die statt verschlossen gewest, alsbald deine hæusser (die ich aus der vnd anderen vrsachen willen, Herbergen der gerechtigkeit *nennen mag) aufgethan, vnd also die angefochten vnd veriagte warheit, in-*

K 5 die

Des sag Gott yeder lob vnd eer,
Vnd acht nit furter lugen meer.
Ja sag ich, warheit was vertruckt,
ist wider nun herfur geruckt.
Des solt man billich gnyessen Lon,
Die darzu haben arbeit gthon.
Dann vilen es zu nutz erscheüst:
wie wol es manchen auch verdreust.
Die faulen Pfaffen lobens nit.
Darumb ich yeden frommen bitt,

Das

die schos deiner hilff entpfangen, vnd in den armen deiner beschirmung ganz kecklich gehalten. Daraus dann geuolgt, das ich in meinem fürsatz, den auch du erber vnd redlich nennest, nit vvenig gesterckt, alle gelerten vnd kunstliebenden Teütscher nation (den dann auch nit vveniger dann mir selbs an diser sachen gelegen) sich in freüden vnd frolocken erhaben, vnd gleich als nach einen trüben vvetter, von der freudenreichen Sonnen erquicket vvorden. Dargegen die boshafftigen Curtisanen, vnd Romanisten, die mich verlassen gemeynt, vnd derhalben nahet einen triumph von mir gefürt hetten, do sye gesehen, das ich mich (im sprichwort ist) an ein veste vnerschütte wand gelænet hab, *iren stoltz vnd übermut gegen mir, etzvvas nidergelassen, sich vast jngethan, vnnd kleines lauts vvorden. für solche deine vvolthat, dir genug-*

Das er gemeynen nutz bedenck,
Vnd ker sich nicht an lose schwenck.
Es ist doch ye kein Bapst nit Gott.
Dann auch jn ist gewissz der todt.
Ach fromme Teütschen halt ein rat,
Das nun so weit gegangen hat:
Daß nit geeh wider hinter sich.
Mit trewen habs gefordert ich,
Vnd bger des anders keinen gnyessz,
Dann wo mir gschæh deshalb verdryessz,
Das

nugſamen danck ſagen, hab ich nit mangel an gemüt vnd vvillen, ſonder am glück vnd vermœgen gebrechen. Würt mir aber ye ein beſſere zeyt erſcheinen, vnd ſich anderung des glückes (als dann meine freye hoffnung zu Gott) begeben, vvill ich dir allem meinem Vermœgen nach, dermaſſen vvider thienen, das du ye vffs vvenigeſt mich keinen fleiß, dir danckbarkeit zu erzœigen, geſpart haben, ſpüren ſolt, vnd mittler zeyt, mit dem, das mir kein freuel noch gevvalt, kein trotz noch übermacht, kein armut, noch ellend, benemen mag, das iſt, mit Krefften meiner ſynnen, vnd vermœgen der verſtantnus, trevvlich vnd fleißigklich thienen, auch dir yetzo, vvie ettvvan Vergilius *den zvveyen vvoluerthienten jünglingen, zugeſagt haben,*

Wo etzvvas mein geſchrifft vermag,
Dein lob muſſz ſterben keinen tag.

Wie-

Das man mit hilff mich nicht verlaſſz:
So will ich auch geloben, das
Von warheit ich wil nyemer lan,
Das ſol mir bitten ab kein man.
Auch ſchafft zu ſtillen mich kein weer,
Kein Bann, kein acht, wie veſt vnd ſeer
man mich darmit zu ſchrecken meynt.
wiewol mein fromme mutter weynt,
do ich die ſach hett gfangen an.
Gott wœll ſye trœſten, es müſſz gan,

und

Wievvol, ob du dich schon gegen mir dermassen (vvie obberürt) nit gehalten, hettest du dennocht on das, mit deinen ritterlichen eerlichen gethaten, verthient (als ich vnd alle, deren vermœgen ist, gegenvvertige oder vergangene ding, durch behelff der geschrifft, vnd erkantnus, zu künfftiger zeyt bringen) das vvir deinen namen vs dunckelem vergessz, in das lyecht der evvigen gedæchtnus setzeten. Dann on schmeychelen vnd liebkosen zu reden, bist du, der zu dieser zeyt, do yederman bedæucht, Teutscher Adel hette etzvvas an strengkeit der gemüten abgenommen, dich dermasszen erzæigt, vnd bevvisen hast, das man sehen mag, Teutsch blut noch nit versygen, noch das adelich gewæchs Teütscher tugent gantz ausgewurtzelt sein. *Vnd ist zu vvünschen, vnd zu bitten, das Gott vnserem haubt Keyser* Carlen,

Vnd solt es brechen auch vorm end.
wils Gott, so mags nit werden gwend,
darumb wil brauchen füß vnd hend.
Ich habs gewagt.

Singulis *Dialogis rhythmi* eiusmodi præmissi, *Febri secundæ* subiecti etiam sunt; quibus Lectores compellantur: additum semper legitur: *Ich habs gewagt.* Dialogo, quem *Inspicientes* inscripsit auctor, *fabularum explicationem* præmisit; quandoquidem hic poetico more magis, quam ceteri, con-

len, *deiner tugenthafftigen vnerschrockenen mutsamkeit erkantnus jngebe, damit er dich deiner geschicklichkeit nach, in hohen trefflichen seinen hændeln, das Rœmisch Reich, oder auch gantzer Christenheit betreffend, so mit rat, vnd der that brauche. Denn alsdann vvürde frücht deiner tugend zu vveiterem nutz kommen. Fürvvar einen solichen mut solt man nit ruvven lassen, noch innvvendig bezyrks kleiner sachen, gebraucht vverden lassen. Aber ich hab mir nit fürgenommen, in diser vorred dein lob zu beschreiben, sonder einmal meinem hertzen das gesteckt voll guter Gedæncken vnd freuntlicher Gutvvilligkeit, die ich gegen deinen vnvvidergelthlichen an mir begangenen vvolthaten, die doch du noch tæglich ye mer vnd mer überhauffest, trag, ein lufft geben, schenk dir zu disen* newen jar,

confectus nominum enodatione indigere videbatur auctori. qui Lectores in fine etiam libelli adlocutus est: vbi & *Lutheri* præterea & ipsius *auctoris simulacrum* denuo cernitur: *illi* subscripta sunt hæc verba: huic hæcce:

VVarheit die red ich,	*Vmb warheit ich ficht,*
Kauff des neyd an mich:	*niemand mich abricht:*
Gott geb mir den Lon,	*es brech oder gang,*
hab ichs falsch gethon.	*Gots Geist mich bezwang*

Læta Libertas!

Sepa-

jar, *die nachfolgende meine büchlin, die ich in nechst verschinenen tagen, in* der gerechtigkeit *(vvie vorgenannt)* herbergen, *eylends, vnd on græsseren fleis verteutscht hab. Vnd vvünsch dir damit, nitt als vvir offt vnserenn freünden pflegen, ein frœliche sanffte ru, sonder grossze, ernstliche, dapfere, vnd arbeitsame geschæfft, darinn du vilen menschen zu gut, dein stoltzes beldisch gemüt brauchen vnd üben mægest. Darzu vvæll dir Gott Glück, heyl vnd vvolfarn verleyhen. Geben zu* Ebernburgk, *vff den heyligen nevven jars abent, im jar nach Christi geburt MCCCCC vnd ein vndzvventzigsten.*

Ad *Bullam Dialogum*, cuius non ita multo ante mentio a me facta est, peruenio: quem vna cum tribus aliis Dialogis paucis oppido diebus post, quam modo commemoratos, in Germanicam linguam translatos, Dialogos foras dederat, emisit; Tali eos notauit inscriptio-

Separatim etiam *Vadiscus* prodiit deinceps, ab *Vlrico Varnbüler* translatus, hoc notatus titulo: *Eyn lustiger vnd nutzlicher Dialogus Herr Vlrichen von Hutten, Vadiscus oder die Rhömisch Dreyfaltigkeit genant. Durch Vlrichen Varnbüler den iungern, aus dem Lateyn neülich verteütschet. Vnterredner Ernoldus, Huttenus. Getruckt zu Strasburg bey Balthassar Beck. 1544. 4.*

ptione: *Dialogi Huttenici noui, perquam festiui. Bulla vel Bullicida. Monitor primus. Monitor secundus. Praedones. Iacta est alea* (t). Minus verbosa, ponderosa tamen *Epistola, Illustriss. Principi ac Domino Dn.* Ioanni *Palatino Rheni, Bauariae Duci & Spanheymen. Comiti* (tt), eos nuncupauit, hunc in modum: *Nuper quum aperuisses te mihi, Princeps illustrissime, & de caussa publicae libertatis quid sentias, ostendisses, efflagitasti, si quid* liberioris scripti *in lucem postea ederem, vt eius facerem te quam primum participem, facile impetrasti. Nam cui legenda mea rectius misero, quam ei, qui &* cum iudicio leget, *&* scripta tueri *poterit? En hoc igitur nomine petunt te* noui tres (u) Dialogi, *in hac* specula, *quae* se libertati iampridem aperuit, *tumultuaria lucubratione a me compositi, eius argu-*

(t) minuscula in fronte libri *Hutteni* comparet *effigies* insignita: *VLR. AB HVTT. GERM. LIBERT. PROPVGNAT.*

(tt) *Friderici III*, qui *Ottoni Henrico* in Electoratu successit, Parenti; eximio litterarumque amantissimo Principi, nec Religioni inimico.

(u) cur *tres* se offerre *Dialogos*, scripserit Huttenus, quum *quatuor* omnino comprehendantur volumine, exputare non possum: an *alia* exsistat *editio*, in quam *tres priores* dumtaxat coniecti initio fue-

gumenti, quod pæne vnice tractandum mihi tempestate hac relinquitur, in quibus si non nitide omnia, expolite, & cum gratia, tamen Libertas *est, quam te quærere, dicebas, in scriptoribus. nunc propositum est,* irritare modis omnibus amentiam istorum. *tantum abest, vt metuam territantes eos: scio enim diuturnum non esse, quod possint in quamcunque partem. Quare etiam confirmo eos, qui formidine correpti nuper sunt, quando videbant* stipatum tot Cardinalibus & Protonotariis Cæsarem, *ad nos accedere. Nam ibi nostræ quidem caussæ metuendum nihil est; sed illius miserendum potius, qui se, in hoc rerum fastigio, inuertendum iis monstris præbeat. Vale optime, ac libertatem tuere. Ex* Ebernburgo, *Idib. Ianuarii 1521.*

In *Bulla*, vel *Bullicida, Dialogo* colloquentes inducuntur *Libertas Germana, Bulla, Huttenus, Franciscus* & *nonnulli Germani.* Quo facilius & de huius *Dialogi argumento* & *vehementia* diiudicandi tibi sit facultas,

fuerint *Dialogi*, quibus accesserint deinceps *Prædones:* an per *Monitorem Primum* ac *Secundum* vnum Dialogum intellectum voluerit auctor; equidem ignoro: de vna saltem constat mihi editione, cui nec tempus, nec locus, quo excusa est, additus comparet.

tas, Lector, instituto meo quædam inde excerpam. --- Bulla. *Sæuitiam prouocas clamore isto tuo. Nam quid ad te, quod* Lutherum *ego quæsitum huc adueni? Quid te immisces alieno negotio?* Libertas. *Quasi dubium vero sit, quam rem agas, quum* Lutherum persequi *te, dicis, aut manifestum non sit, ad hoc venisse te, vt* vincula iniicias mihi, & despicabili seruitute irretitam reddas Germaniam. *Id quod me vetas prodere, & clamore palam facere prohibes.* -- L. -- *Quid me cædis, bullarum nequissima?* B. *Quod clamas temeraria. Hem tibi!* L. *Obsecro vestram fidem, Germani! Subuenite quæso, ciues, opem ferte populares, incolæ, accolæ, aduenæ, vicini omnes!* B. *Tene.* L. *Vestram fidem Germani! Auxilio este ciues! Eripite* adflictam Libertatem! *Ecquis suppetias audet ferre mihi? Ecquis vere liber est? Ecquis honesto studet? æquum diligit? fraudem odit? fas amat? scelus detestatur? Ecquis vere Germanus est?* Hut. *Hæc me vox, cuius cuius est, euocat. atque igitur videbo, quid rerum foris sit. Profecto* Libertas agitur, *quantum audio. excurram ocius. Quid hic agitur? Quis est? Quis clamat?* L. Libertas opprimitur, *Huttene. Ipsa ego sum. Ipsa clamo. Hæc illa est, quæ*

me opprimit, Decimi Leonis Bulla. *Ea non alio vineas pluteosque agit, quam vt* irretitam *me teneat, deinde* ſtrangulet. H. *Dii melius, quam fiat horum quicquam? Verum quid tu* Bullæ *oſtendis mihi, quam peſtem nuntias?* L. *Hanc* Bullam, *aio*, pellacem, impoſtricem Bullam, *huc miſerunt impii Romaniſtæ, venefici, faſcinatores, quæ vos omnes in ſeruitutem adigat, me vinctam iugulet. - - -* L. *At quæ contra hanc vim auxilia nobis?* H. *Si auxilio vmquam opus erit*, pileatam *huc* plebem *ſiſtemus, &* liberos in Germania omnes, *hunc in primis* Franciſcum, *qui ædem iamdudum tibi &* aram *dedicat.* L. *Erexiſti me*, inuicti Herois *commemorato nomine. Aderit vero nobis?* H. *Quid ni? Aderit primo inuocatus.* L. *Salua ſum - - - -* H. *Quid illud? Nam* inflata *admodum es.* B. *Nimirum plena religionis, plena poteſtatis, regni, honoris & diuinitatis.* H. *Inſtincta, arbitror, ſuperſtitione & auaritia, ſufflata arrogantia & ambitione, vaniſſimarum ebria gloriarum; ceterum omnis vacua probitatis & innocentiæ.* B. *Maledicentiorem ego hominem audiui neminem. nec eſſe puto, qui ſic procaciter conuicium dicat. Idem facis, quod iſti olim fecibus obliti veteres Comœdi.* H. *At nullis*

nullis ego fecibus oblitus, aperte dico *tibi, &* ſine fuco. *Mitte Libertatem nobis, ſiue bulla es, & quod πομφώλυξ Græci vocant, ſiue quod Φύσημα illis eſt.* -- B: *Sycophanta Libertas, quantam rem, quam maligne extenuas! ſed dic tu mihi, quo nomine, & vnde genitum agis te?* H. Bullicidæ *nomen eſt.* B. *Non placet nominis omen.* H. *Ab illo autem adſum tibi* æquitatis receptaculo Ebernburgo. *vbi pretium eſt equis & armis, contemptus otio & ignauiæ. vbi viri ſtrenue viri ſunt. vbi & bonum & malum digno habetur loco. vbi vt meretur quis, ſic illum accipiunt homines. vbi Dei cultus eſt, hominum cura & caritas, vbi virtutibus honor; auaritiæ non eſt locus. vnde ambitio exſulat, perfidia & ſcelus longe abſunt. vbi liberaliter liberi ſunt viri. vbi pecuniam contemnunt homines, & magni fiunt. Vbi fas ſequuntur iidem, qui abominando nefas fugiunt. vbi pactis ſtatur, fides colitur, religio ſuſpicitur innocentia propugnatur, viget probitas, fœdera valent. hoc illud eſt æquitatis receptaculum.*

Bullam hanc ſiue Bullicidam in libello *Monitor primus Dialogus* excipit; in quo ipſe *Monitor* cum *Luthero* ſermonem inſtituit, multa de ſe monens, & Lutherum ſui *ab ipſius partibus diſceſſus* certiorem

faciens: *Romanos* enim ob id factioni eius ab se præferri, adfirmat, *quod sequerentur ea, quæ tolerabiliora essent, & a communi vita minus abhorrerent:* nempe vt *diuitias* habere liceret, atque iis vti, & *voluptate* frui, ac in *luxu* degere, & oblectari modis omnibus. quod si vero *seuerius quid* præceptum esset, ipsum illum *pastorem* id *lenire*, ipsum *remittere*, aliquando *vniuersum tollere.* Caussam suam grauiter dicit *Lutherus:* initio statim Dialogi firme comprobans, nequaquam id operam sese dare, *vt faceret inter homines partes, Christumque diuideret;* tantumque abesse, vt id ageret, vt vel Monitor vel alius quispiam *Luthericus* vocaretur, vt id ægre ferret; qui *Christianos facere* decreuisset.

Monitor secundus, qui continuo sequitur, colloquentes inter se sistit *Monitorem* & *Franciscum*, id est, *Franc. de Sickingen.* Commonefacere videlicet hunc instituit Monitor in re, sententia ipsius, necessaria, siquidem is *male passim audiret*, præsertim in maximo isto Concilio, *ob hæreseos rumorem;* qui *Lutheri partium* esse diceretur, qui domi suæ foueret *Huttenum*

num, maximorum aliquando malorum caussam futurum: qui impetum cœpisse perhiberetur *cogendi in ordinem Sacerdotes & Episcopos:* qui contra *Leonis bullam*, & tot priorum *Pontificum sanctiones, ne cui liceret reclamare Ro. Episcoporum placitis, quantumcunque viderentur hæc iniqua etiam*, agere haud vereretur. Prudenter Monitori hæc exprobranti respondet Franciscus: *Neque tamen video, istiusmodi omnium conscius mihi, cur debeam traduci vulgo. Atque ita censeo, contra* sordidam Sacerdotum dominationem *optimo cuique strenue obluctandum esse hoc tempore, totisque* iugo isti *viribus pertinacissime resistendum:* Luthero *autem* fauere, *quæ culpa est*, Euangelium prædicanti, *&* a periculosissimis erroribus hominum conscientias vindicanti? *Nam* Huttenum, *pro iis quæ scripsit, nondum audio, neque accusatum a quoquam, neque condemnatum. quod si* Luthero *caussam dicere permittant isti, fore putas, vt vllis legibus damnari possit?* Quum Monitor obiecisset porro, *Franciscum* & reliquos, qui *Luthero* fauerent, *religionis tædio noua moliri* existimari, Franciscus non minus solide id refellit: *Noua molimur vero,* inquit, *quo-*

rum omne in hoc studium est, vt antiquum referamus morem? & vitio perditorum hominum collabefactam Christi pietatem instauremus? Immo noua moliuntur ipsi, nos cum Christo permanemus. Quod quam inuisum illis est, tam esse gratum huic credimus, qui diutius non feret, adulteratas *sibi* leges, infirmatam fidem. Omni etiam cura vacare iubet Franciscus Monitorem, qui magnam præ se ferebat sollicitudinem, ne is, *omne libertatis exemplum supergressus, summis se periculis obiiceret: Ego vero,* inquit Franciscus, *sollicitus non sum; sed curandum valde existimo, ne Christi in me gratiam, vbi caussa hæc agenda fuerit, negligam. Iam enim magis ac magis incipit cura esse mihi publica & Christiana Libertas, & animi ardeo, quum multa pessimi exempli video admittere istos, neque vsquam facere modum, omnia in deterius mutandi, & peruertendi. Mali* huius, quod vna alterave pagina persequitur Franciscus, *magnitudinem* omnium fidem in tantum excessisse adfirmat denique, vt temporis istius scriptoribus dura vtique conditio proposita fuerit, quod eloquentia nihil inibi adsecutos, fide, vtcunque ea pertractassent, apud *posteros* carituros

ros eos fore, iam tum præuiderit; quod neminem crediturum vmquam persuasum sibi habuerat, *rerum istum statum tam fuisse deformem.* Meliora quidem ominatur Franciscus. *Aperta sunt enim*, lætus exclamat, *operta quæ fuerant prius, detectæ fraudes, proditi doli, præstigia patent! Sic aliquando religionem corruperunt populum Christianum docendo scelerati homines, vt non* Christi sacerdotes, *sed* exoticæ cuiuspiam, *ac* detestandæ superstitionis sacrificuli *viderentur. Nunc illuminatæ hominum mentes sunt, absterſis nebulis. Quam nobis maxime* lucem, *instinguente Christo*, Lutherus accendit: quem qui odit, Christum non amat. *Quare hunc sequamur, quotquot sumus, quos religionis & fidei casus permovet! Impostores vero istos mundo exigamus, &, abiecto graui ac importabili iugo, in libertatem nos vere Christianam adseramus!* Quum nihil ab optima ratione alienum conari Franciscum, pulcre sic intellexisset Monitor; ipsum consilii, cuius auctor ei initio fuerat, suppudebat; quod iam improbantem se, diuersa posthac secuturum esse, spondet. quid? quod nullam vmquam linguam futuram, confir-

mat, qua suasurus sit Francisco, *a Lutheri tuitione vel tantillum vt discedat. Neque discedam*, pergit hic: *immo, vt scias, quæ mens sit, magis ac magis ad conandum hoc æstuo. Peracuunt enim pectus mihi cottidianæ istorum machinationes, quibus scelerati nebulones convellere sancti viri statum, ac publicum impedire bonum conantur. Quare nihil omittam, quod quidem ad rem facturum existimabo; quo fieri possit, vt aliquando, bonis perniciem qui moliuntur, male ipsi pereant.* Postquam copiose de *malis Caroli Imp. consultoribus*, in quibus omnis culpa, quantacunque hæc fuerit; sententia ipsorum, hæsit, disseruerunt; extremo Dialogo quærit Monitor: *Sed esse spes, restitutionis in melius istiusmodi rerum, vlla potest?* Fr. *Tu non esse putabas, ego vnam propono.* M. *Quam illam?* F. *Vt in oscitantia ille* (Carolus Imp.) *hac deceptus, resipiscat, & missis pessime animatis consultoribus, ac amicitia, quæ cum pseudoepiscopis ipsi intercedit, abrupta, fortissimum quemque, ac optime cordatum adsciscat sibi, vt stipatus caterua bonorum circa se virorum, consilium ineat detrahendi his nimiam potentiam, &, abolita superstitione, veram inducendi religionem, fidei lucem, Germaniæ libertatem restituendi.*

endi. M. *Teque ministro vtatur ibi multum apto.* F. *Siue me, siue quemcunque idoneum maxime perspexerit, cuius ductu res tanta geratur. Nam alioqui decretum ipsi mihi est, si nolit huc ille animum aduertere, neque spes iam vltra sit, fore, vt ipsius auspiciis communi patriæ consulatur, audere aliquid meo cum periculo, vtcunque cedat hoc etiam.* M. *Qua in re monitorem habes acrem, & vehementem,* Huttenum *istum*, impatientem omnis *(vt video)* moræ, ac omnem iam lapidem, vt malum concilietur istis, emouentem. F. *Et libenter vtor. Nam & ipsi spiritus est huic rei idoneus.* M. *Quem illi seruet Christus, teque confirmet, optima conantem, ac summe necessaria!* F. *Et te seruet, melius opinantem iam, ac rectius monentem, quam quum adueniebas.* M. *Quam tibi gratiam habeo, quo erudiente, melior sum factus. Vale.* F. *Et tu feliciter vale.*

Postremus quidem, quod ad ordinem, neutiquam vero quod ad venustatem attinet, voluminis Dialogus est, qui *Prædones* inscriptus, ne Vadisco quidem sale, vel acrimonia potius, cedit. Colloquuntur *Huttenus, Mercator, & Franciscus (de Sickingen).* Mercator videlicet,

Fuccherorum minister, quum de iis, quæ in Concilio celebrato tum, acta, decreta, & edicta fuerant, sermo incidisset, & attulisset quispiam inter cetera, iurasse *Carolum Imp.* grassationes inhibiturum se, pacaturumque esse Germaniam, prædones omnes vno impetu submoturum; Equestri statim ordini maledicere cœpisse fingitur: qui *Equites* Germanos *Germaniæ* vocarit *Prædones*, Equestrem ordinem e medio sublatum visurum se, confisus. Quum acerbe in eum inuectus ideo esset Huttenus, Franciscus Nobilitatis caussam agit; ita tamen, vt, *virtutem hereditario non relinqui*, &, *vt maximi quisque flagitii conscius sibi fuerit, ita extra Nobilitatem remotissime habendum eum, etiam Princeps si fuerit*, ostendat: quandoquidem *a maiorum suorum præstantia excidat, quisquis facta, quæ illos nobilitarint, non imitetur*; & *detestandi plane sint Nobiles, quorum vetus prosapia exsistat, sed recens vita: qui multarum sint imaginum, sed nullius stipendii.* accedere, quod, quum natura vna sit & communis omnium, *tanto nobilior quisque habendus omnino sit, quanto magis pro æquitate pugnarit.* quum porro *lex Nobilitatis* sit, *auxi-*

auxilio leuare oppressos, opem ferre miseris, adflictis succurrere, agnoscere derelictos, vlcisci iniqua perpessos, resistere improbis, ab innocentia propulsare vim, tueri viduas, & orphanos: neutiquam conuenire, censuit Franciscus, hoc ipsis adimere quemquam, quo solo nobiles sint, *vt armorum vi aequitatem tuerentur.* His, & multis aliis monitis praemissis, *quatuor in Germania Praedonum* statuit Franciscus *genera*: de quibus acute copioseque disputant. Primo loco illi referuntur, qui *latrones* vocantur, qui vias obsident, ac in agris passim & siluis rapiunt. hi Praedonum minimi disputantibus videntur: quamuis solis omnium in Germania Praedonum poena iis sit constituta. Alterum genus Praedonum *Mercatores* esse, argute probat Franciscus. hos enim cum inuectis *nugacissimis* in Germaniam *mercibus* (v) auri inde tantum ad exteros referre, quantum

(v) inter has refert *omnis generis aromata*, vtpote, quae non vsui, sed deliciis quaerantur, nec, vt seruentur corpora, sed vt oblectentur, apportentur. *sericum* praeterea, & *infinita peregrini vestitus genera* iis adnumerat; quibus optimi corrumpantur mores. conferantur quae Huttenus supra p. 24 de eodem hoc argumento disputauit.

tum æstimari non queat, In malis & perniciosis mercatoribus, quosdam enim vtiles quoque duxit, summe diuites illos censet, qui inita societate *Monopolium* exerceant, quorum nequissimi sint *Fuccheri* (x). Talia quum ægre initio ferret Mercator, Equestri ordini vitia nonnulla exprobrat. primum *feram*

quam-

(x) vbique locorum querelam de his institui, paullo infra adfirmat, illos esse *Fuccheros*, qui lucrari alios non sinant, qui soli negotiari apud exteras nationes velint, & quadam quasi instituta tyrannide ibi, emendo præueniant omnes, si non possint præuenire, pecunia tamen vincant. vt exaucto pretio, depulsis ab emptione tenuibus illis, pro suo ipsi libito, quod soli emerint, soli vendant postea, quam velint maximi. *Quoties vero*, pergit, *audiui conquerentes delicatos illos, carum esse piper, carumque crocum, quod aliis hic mercatoribus Indiam clausissent Fuccheri, dum putridas suas merces, plurimi venderent.* Moneta *autem* Fuccherorum *qualis est? Nonne* quindenarii *illi, quos cudunt, & quibus vniuersam impleuerunt Germaniam, reperti nuper sunt, viginti aureo non valere? Non est hæc fraus odio digna?* ---- M. *Si vera essent hæc, non videremus, sic honoratos eos, etiam a* Maximiliano *insignitos* nobilitate. F. *Ah nobilitas, quam non hastæ, non vexilla, non phaleræ, neque cicatrices, pepererunt; sed infamis pecuniarum possessio conciliauit, vt vacuis virtute, saltem diuitiæ opitularentur!*

quamdam & *asperam* illi esse *naturam*, qui humanitatem, vt in vrbibus fiat, non colat: deinde, quod ab Hutteni magistro audire meminerit, *duobus peculiariter vitiis laborare Nobilitatem Germanam, superbia & ignorantia*: quarum hac se ipsam ignoret, illa contemnere soleat alios. neque fere vsquam gentium reperiri, *qui verbis nobilitatem magis iactent, quum re ipsa non perinde exhibeant.* In qua sua exprobratione rationibus exemplisque firmanda longus est Mercator. nec vero Franciscus adeo dissentit; *Nobilitatem* illos, qui id faciant, *prodere, ac in infimis habendos*, existimans. tantum enim abest, vt is vitiis patrocinari voluerit, vt, si quis huiusmodi exstiterit, vt in clarum genus deformem vitam, & malos mores induceret, accusatorem se illi professus sit. Tertio loco, qui prædentur in Germania, *Scribæ* statuuntur, & *Iureconsulti*, eo vtrique nocentiores, quo latius eorum pateat rapina: hos enim esse, ostendit Franciscus, qui ius, leges, fas, æquum & honestum libidinosissime profanent. qui quum conentur *Carolo Imp.* abuti, *edicti* illius *contra Luthe-*

rum

rum auctores eos putandos esse; qui Pontificis pecunia ad id corrupti antea fuerint. Per hos enim homines nusquam Principibus bonis esse licere, adstipulatur Huttenus, qui omnia & possint & audeant: qui nulla regendarum rerum aut ratione, aut scientia, nulla antiquitatis memoria, rerum experientia, animi industria, denique haud vlla innocentiæ conscientia præditi, verum sola temeritate & impudentia, ac pessimis freti artibus, ad publicum morum legumque regimen accedant. Tantum gratia & auctoritate apud Reges ac Principes valere eos, idem Huttenus adfirmat, vt ex eorum scriniis, tamquam a diuino quodam oraculo, quæ ad res & publice & priuatim constituendas pertinent, petantur: vt Regum diplomata ab iis nundinari, & Principum rescripta emercari oporteat: vt *Regum* quasi *oculi* sint, sine quibus nihil illi videant, nihil agnoscant. qui eo audaciæ progrediantur, vt, quum lucrum sit, falsum subscribant, ac Principum signa suffurentur. *Fumiuendos* eo nomine istos appellat, in quibus longe miserrimum

sit,

ſit, quod non bonis artibus, aut hone- ſtis diſciplinis excoluerint animos, ſed corpora veſtimentis exornent ſumptuo- ſiſſime; ob idque infenſius neminem o- derint, quam doctos & litteratos. qui ſuſpicentur de his, quaſi qui ignoran- tiam aliquando, & craſſitudinem ipſis exprobraturi ſint:. quare etiam minime patiantur Principibus innoteſcere eos, odioſiſſime potius ab aulis hos detru- dant. Aliquot paginis de moribus ho- minum iſtiusmodi Franciſcus cum Hut- teno ſermocinatur, ita, vt acriter porro vterque iſtos inſectetur & exagitet, ve- lut homines, qui, quum indoctiſſimi ſint, docti tamen vulgo putentur, ac ſe tales ipſi iactent, & ex *ſcientia omnium*, quæ ſint, *tenuiſſima*, ac ad omnem rerum conuerſionem, & vnamquamque com- munis ſtatus mutationem interpolabili, odioſiſſime ſuperbiant. qui, abductis in errorem mundi opinionibus, *axiomata* ſua honeſtiſſimis quibusque artibus præ- ferant; & omnes reliquas diſciplinas, vt inanis operæ ac ſtudii, adſpernentur & reiiciant; ab ſe frugem colligi, ab aliis paleam, ac infelix lolium peti, dictitan- tes:

tes: homines, qui ita craſſi, vt craſſitie ſua corrumpant optima nonnumquam ingenia, vbi conuerſentur. qui dudum inuaſerint cum *rubris* ſuis *pileolis*, pro libito Germaniam, quadam quaſi immiſſa tempeſtate, deuaſtantes. qui ſemper, *quid iuris*, quærant, numquam tamen inueniant; & in rebus plerumque friuolis, quarumque facillima videatur prudentioribus cognitio, ſummas vltro nectant difficultates, & ſepulti ſub *librorum montibus* totos nonnumquam dies, totasque deſudent noctes: vnde quum pallentes, & exhauſti ſtudio prodeant, ea loquantur ſæpiſſime, quæ homines probare quidem verbis cogantur, librorum oppreſſi teſtimoniis, at vero ſententiis iudicent ineptiſſima. qui non æquitati ſtudeant, verum in *litigioſa loquacitate* operam conſumant; ex rebus plerumque fictitiis & inanibus ingens bellum concinnantes; optime inſtituta iniquiſſime deprauantes, & *malitioſa ſapientia* alias atque alias rebus inducentes ſpecies. qui *caſibus* ſuis inſtructi, quaſi *Palladis* muniti *clypeo*, veniant contra adverſarios pugnatum. *pugnare* autem nihil

aliud

aliud illis esse, quam *ad omnem voluntatem vti scire legibus*; id est, fraude fas & æquum, iura ac leges dilacerare. *iniquissimos* ea re Franciscus eos nuncupat *iustitiæ dispensatores*, Huttenus *formularios, perverse prudentes*, atque *indoctos doctos*: qui eruditionis inanes, ne contemnantur, inter eruditos, timeant: qui non desinant vbique persequi doctos; ac illud conentur, ne quis vsquam, aut ingenio præditus, aut doctrina clarus vir, floreat & emergat. qui eo rem adduxerint, vt nulli fere conuentus celebrarentur, vbi non ex *rubricariis ampullose inflatum* quempiam producant, qui primo ibi loco sedeat; doctissimis quibusque & melioribus longe in imo recumbentibus. qui, quum nulla in iis morum grauitas sit, *vultus truculentia* metuendos se potius, quam venerabiles faciant. qui denique, pessumdato iure & ademptis legibus, miserorum sanguinem exsugant, omnem animorum quietem perturbantes: qui cogitationibus excrucient sæuissime, tristitia ac mœrore adfligant immisericorditer, & lenta quasi tabe quadam vitas consumant. Quar-

to loco *impios Sacerdotes* nominat Franciſcus: vtpote quos a nimis patientibus Germanis prædas agere, commonſtrat; idque longe auariſſime rapere eos oſtendit, quod nulli vsquam latrones attingere audeant: quaſi aut ſolis id ſibi liceat, aut quædam ſit ſacra etiam rapina. Poſtquam Huttenus enarrauit *quid cauſſa ſit, cur optimarum artium ſtudia, ſacrarum inprimis litterarum ſcientia, ad ſummam raritudinem & pauculos quosdam, eosque adflictos & miſeros profeſſores reciderint.* quoniam nimirum craſiſſimus quisque & analphabetus, modo pecunioſus fuerit, facillime tum ad ſacerdotia euaſerit: docti homines & bene morati quique contemptiſſime ſint neglecti. quum illi ex aduerſo *Domini* ſalutati ſint, *Canonici* fuerint, *Præpoſiti*, atque *Epiſcopi*, qui aurum habuerint, & honores percurrerint, ac in ἀπαιδεία illa ſua regnarint, ſe quidem bene, paſtoris vero egentem gregem & commiſſam ſibi plebem Chriſtianam non curantes. Quum explorate, inquam, ita iudicaſſet Huttenus, quærit: *Nam quis illorum paſcit Chriſti oues nunc? Non video, quis*, reſpondet Franciſcus, *niſi*

ſi

ſi quod Lutherus *incepit nuper, & qui cum illo ſentiunt pauci quidam, coniecti in ſummam idcirco infenſionem, quaſi qui nouis rebus ſtudeant, & ſacra non rite tractent. Alii ſe ipſos locupletant omnes, & noſtris diteſcunt ſpoliis, miſeros vero greges deuorant: tantum abeſt, vt paſcendo curent.* H. *Ita eſt. Oſtende autem mihi prædicatorem in Germania Epiſcopum!* F. *Non poſſum, robuſtos venatores poſſum, & ſtrenue bellatores, quoſdam etiam impudicos cinædos & ſcortatores valde exercitos. Vt plurimum vero ſplendorem omnes quærunt, laborem fugiunt. Sed præcipue vt diteſcant (quod tamen numquam ſatis faciunt, nam pecuniæ inſatiabiles ſunt) omnia experiuntur.* Et quæ ſequuntur. quibus dilucide comprobatur, neminem diuini ſermonis prædicatione ad pietatem incitaſſe tum Sacerdotes, ſed *fabularum commentis* ad *ſuperſtitionem* paſſim accendiſſe: neque eos ſanctimonia vitæ ad melius viuendum induxiſſe homines, ſed *cerimoniarum oſtentatione*, ad diſſipandum inutiliter pecuniam hos adegiſſe. qui igitur quum verbum Dei haud prædicaſſent, factum eſſe, vt *cum ipſo pæne Chriſto Euangelium euanuerit. Fraudes & doli* porro, quibus Ger-

manorum patrimonia irretire consueuerint, recensentur; quos *nosse ac videre*, *primam Germaniæ salutem* existimabat Huttenus: qui persuasissimum sibi habebat, *hinc illam in Lutherum conspirationem ortam esse, quod consensus eorum ad bonas litteras harumque peritos persequendos mirabiliter conspirauerat. litteras* enim *fuisse, per quas tempestate ista Germania resipiscere cœperit*, præclare nouerant: quas easdem ignauis monachis exitium allaturas denique fore, Huttenus cum Francisco suo confidebat. qui *aurum funestum*, postquam inuaserit, *Christum expulisse, veramque religionem animis hominum excussisse, & sui amorem indidisse*, censuerunt. Veritates eiusmodi quum inter se disputando perpendissent, de *Principe Ciuitate Pseudoepiscoporum*, de *Curtisanis* disserunt: hos fuisse, declarant, qui Rom. Pontificis negotia gesserint; qui regnanti ei vires subministrarint. absque horum enim libidine, auaritia, & ambitione si fuerit, numquam vsu euenisse, arbitrati sunt, vt *Antichristus* regnare valuerit, vt Germaniam rapiendo attentare sustinuerit *Pontifex*. Eorumdem *Curtisanorum principes Fuccheros* exstitisse,

tiſſe, non obſcure oſtendit Huttenus: apud hos certe Bullas inuentas eſſe, & Diſpenſationes per menſas eorum iſſe, probat: vnde non minus lucrati iſti ſint, quam coempto ab Indis pipere. Vt vero effictionibus fraudulentiſſimis perpetuo locus eſſet, omnem Curtiſanos iſtos *veritatem exterminaſſe, Deique excluſiſſe ſermonem*, confirmat porro Huttenus: monſtrans, vt eſſet, quo noui Cardinales peralerentur, & quod infructuoſis Rom. Epiſcopi creaturis inſumeretur, numquam adhuc Germaniam ſpoliandi finem fuiſſe: numquam modum aut menſuram: tantumque *Germaniæ Præſules*, exemplum a Romanis deſumptum ſecutos, diripiendo inualuiſſe, vt fertiliſſima Germaniæ loca, fœcundiſſimos agros inſederint; locupletiſſima portoria occuparint. Siquidem *Rhenum vtraque ripa* tenuerint, ſic, vt *Fridericus III* Imp. hunc *Sacerdotalem vicum* appellare ſolitus ſit; quod a primo ipſius exortu, vsque dum Oceanum influat, regnare circa eum videret Germaniæ Epiſcopos. Quantas denique *Romani legati* tragœdias paſſim excitarint, fuſe ſatis indicatur,

 qui,

qui, vbicunque peruagati sint, *benedi-ctiones* & *maledictiones quaestuarias* secum habuerint. Mercatoris animo ad perniciosissimos. Praedones cognoscendos ab Hutteno ac Francisco sic transducto: ipse tandem obsecrauit hos, vt operam darent, vt Germania tandem aliquando a peste ac pernicie hac liberaretur. Operam tum daturum se spondet Huttenus, putans, fore, vt aliquid efficeretur, si *Franciscus* alacrem se ipsi praestiterit adiutorem: qualem se hic praestaturum recipit, sed occasionem nactum & opportune: nam *Huttenum nimis properare* videri sibi, ingenue profitetur. qui quidem, properasse illum dici non posse, sibi persuaserat, qui tunc incepisset: nec occasio, post tot edita a Praedonibus facinora, exspectanda vltra ei videbatur. Esse tamen vel sic, quod moretur se, adfirmat Franciscus, id quod ipse Huttenus non ignoret: qui omnino velle videretur, intempestiue ordientes se, ab iis, qui Germaniae consultum nollent, opprimi: quod fieret necesse esset, si audentem eum alii sequerentur. *Proinde*, inquit, *tempus exspecta-*

me-

mecum aliud, quod quum erit, dices ipse, fuisse conficiendis rebus his opportunum magis. H. *Exspectabo, dum non multum absit.* F. *Prope est, ni fallor. nam Germania resipiscit iam, ac ipsa per* te *&* Lutherum *expergefacta a profundo quodam somno, cognoscere fraudem, qua consopita fuit, incipit. neque videtur vlterius ferre posse tam inhonestam tot otiosorum hominum conuersationem: si posset etiam, neque agnoscere ipsa se vellet, & cognoscere hæc: tamen nollet Christus sub prætextu pietatis, diutius illudi sibi, & ab se instituta peruerti.* ---- H. -- *si recte quidam Imperatores crudelium suppliciorum metu arcendos putauerunt, qui officia profana mercabantur, quid eis facias, qui* sacra nundinantur *iam? Quanto iure hos aboleas, & exstirpes? Et, si vnamquamque semper tyrannidem oppugnare necesse uisum est; quo nunc studio agi debemus, quando huiusmodi sunt tyranni, qui non in possessiones tantum nostras licenter impetum faciunt, & ciuili nos libertate exuunt, sed fidem etiam, fas, & religionem abolere connituntur, ac veritatem opprimunt, & ab hominum auribus auerterunt Dei verba, ac ipsum iam a cogitationibus nostris Christum parant eximere, neque corpora nostra adfligere satis habent, sed in animas ad-*

 huc

huc, quantum in se est, atrocissime saeuiunt, & immaniter degrassantur? M. *Male pereant, qui tam variae perditionis auctores sunt! Tu vero ne desiste exhortando, neque hoc admitte, quod aliquando suspicari quosdam cognoui, vt pecunia & largitione a proposito detinearis.* H. *Iniqua fuit suspicio; cuius cuius fuit. Non detinebor* (y). F. *Constabit: pro ipso pollice-or hoc tibi. Nam totum hominum noui; & scio, quae in pericula coniecerit praecipitem se, vt malum excitaret illis, qui nunc solo huius & Lutheri excidio placari, ac in quietem animorum restitui posse videntur: Ita ardent ira & odio aestuant, ob ostensam ab his Germaniae suam fraudem, ac proditas suas artes* ---. Latius, idque ipsis Hutteni verbis, enarrandum putaui, quid in Dialogis his contineatur; vt *temporis, in quod Hutteni* atque *Lutheri aetas incidit, facies* magis magisque exprimeretur: quo exploratius simul de vtri-

(y) Integriorem fuisse Huttenum, quam qui muneribus flecti, & corrumpi se passus sit; nec tam futilem, & auri sitientem eum fuisse, vt, conspecta pecunia, protinus venalem animam habuerit, *Oth. Brunfelsius* contra *Erasmum* ostendit: qui, Hutteno a monachis ac Theologis praedam obiectam fuisse, vt *Expostulationem* istam ederet, adfirmare veritus non erat, *Resp. ad Spongiam*, g. 7, a.

vtriusque meritis ſtatui hodieque poſſet.

Eodem ferme tempore, non ita, ſaltem multo poſt, *bini Germanico ſermone* ab aliis confecti *Libelli* ab Hutteno in lucem ſunt prolati, ſic inſcripti. *Concilia wie man die halten ſol. vnd von verleyhung geyſtlicher Lehenpfründen. Antzæig damit, der Bapſt, Cardinælen, vnd aller Curtiſanen Liſt, Vrſprung vnd Handel bitz vff diſſ Zeyt. Ermanung das ein yeder bey dem rechten alten Chriſtlichen Glauben bleiben, vnd ſich zu keiner newerung bewegen laſſen ſol, durch Herr* Cunrat Zærtlin *in 76 artickel veruaſt, in 4.* In fronte hi ſcripti ſunt *rhythmi:*

Wilt wiſſen in eim Knopff vnd griff,
warum doch ſchwanck ſant Peters ſchiff.
vnd wer das hatt durchblæchert gar:
Du findſt es hye gantz offenbar.
Der ſtamm Symon, vnd ſein geſchlecht,
Bapſt, Cardinal, vnd all ihr gbrecht,
Münch, Curtiſan, mit Hoffs genoſſz
entdeckt ſeind hye, an frommkeit bloſſz.
Vnd leüg ich dir, ſo bin villycht
mit jnen ich ein æder wycht.
Ein wunder büchlin bin ich genant,
lang zeyt gelegen vnbekant.

 Nun

Nun wüsch ich fürhar rechter zeyt,
Glaub mir, der Haff im pfeffer leyt.

Concilium. Concilium.
Concilium.

Præfationem, quam præfixit Huttenus, non minus, quam tot alias, dignam existimo, quam integram tibi cognoscendam subministrem, Lector. *Vlrich von Hutten entbeüt allen christlicher freyheit liebhaberen alles gutes. Seit har ich mich vmb bezeugung, vnd (so vil in mir) verfechtung christlicher warheit, vnd vatterlicher freyheit willen, in farh vnd not meins leibs vnd guts begeben, hab ich keinen fleiß gespart, kein arbeit vnterlassen, damit ich, was solicher sach zu hilff vnd steür kommen mœcht, erfunde vnd zu wege bræchte. Derhalben ich stætes, wo mir das gebüren mag, alle* alten Libereyen *ersucht, ob ich yrget etzwas finden mœge disen Dingen dienstlich, das ich das der gemeyn zu gut an tag bringe. Mit solichem fleiß als ich nechst bey meinem besonderem trostlichen guten freünd vnd enthalter* Frantzen von Sickingen Haubtman &c. *in seinem schloß* Ebernburg, *vnter anderen alten Büchern, ihm villycht von seinem Vatter seligen verlassen, ein* büchlin *des tittels,*

tels, von Haltung der Concilien &c. *funden, vnd mir bald hernach* Herr Conrad Zærtlin (z) *ein vast nutzliches* büchlin (a), *so er* von dem rechten alten glauben zu behalten, *Vermanungs weis beschriben, zugeschicket, hab ich, vff das vnser gantz Vatterland nit lang solich nutzs beraubet blibe, genante zwey büchlin zusammen trucken lassen. Bevilh hye allen, so das wort Gottes, Christlichen glauben, vnd vatterliche freyheit liebhaben, sye zu lesen, vnd anderen zu lesen zu gebenn. Wünschend jn darneben glück, heyl, vnd verstendnüssz aller rechten leer vnd glaubens. Gebenn zu* Ebernburg *vff den tag Valerii im jar M. D. XXI.*

In calce libri & *Hutteni* & *Caroli Imp.* minutæ *effigies* conspiciuntur: illius imagini superscripta sunt hæc verba:

So reych es recht hyn, wo Gott wœll,
Die sach ich jm gantzlich heymstell.
Jch habs gewagt on alls vngfœll.

Supra *Caroli Imp. effigiem* hæc scripta sunt:

O Carle, Keyser lobesan,
greiff du die sach zum ersten an,
Gott würts mit dir on zweyfel han.

Tan-

(z) genandt *Playnbacher*, *Vicary zu Bamberg.*
(a) præfatio, quæ ipsi libello præmissa est, scripta est *zu VVittenburg am 20 Tag Februarii anno 1521.*

Tantum quod binos hos Libellos foras dederat Huttenus, quum de *III Inuectiuis*, & *IV Epistolis* in caussa *Lutheri* (b) edendis cogitauit. Prima voluminis pagina, siue ipsa frons *Huttenum loricatum, laureaque coronatum* conspiciendum præbet: altera siue auersa pagina *Libri* (c) *summam* his verbis exponit: *Hulderichi ab Hutten Eq. Germ. in* Hieronymum Aleandrum, *&* Marinum Caracciolum (d) *Leonis Decimi, P. M. Oratores in Germania, Inuectiuæ singulæ. In Cardinales, Episcopos, & Sacerdotes, Lutherum Wormatiæ in Concilio Germaniæ impugnantes, Inuectiua. Ad* Carolum *Imperatorem, pro Luthero, & Veritatis ac Libertatis caussa Exhortatio. Iacta est alea.* Exhortationem *tres* in ipso volumi-

(b) Monimenta inprimis hæc respiciens *Lutherus* ad *Io. Staupitium d. S. Apoloniæ an. 1521*, T. I, Ep. p. 304, b, scripsisse videtur: *Huttenus & multi alii fortiter scribunt pro me: & parantur indies cantica, quæ* Babylonem *istam parum delectabunt. Princeps noster, vt prudenter & fideliter, ita & constanter agit: cuius iussu adsertiones istas vtraque lingua edo.*

(c) ex quo *Io. VVolfius* T. II *Lection. memorabil.* p. 80, seqq. inseruit quædam.

(d) vtrique, conata *Hutteni* indignanti, huius *venam & ingenium magnifice se prædicasse*, *Erasmus* adfirmat, in *Spongia* c. 6, b.

lumine subsequuntur *Epistolæ:* vna ad *Albrechtum Brandenburgensem*, *Archiepiscopum*, *Cardinalem*, altera ad eumdem *Carolum V. Romanor. Imper.* tertia ad *Bilibaldum Pirckheymerum*, *Senatorem Norinbergensem.* Quod ad primam *in Aleandrum Inuectiuam* (e) attinet, vehemens satis ea est, singularem Aleandri exprobrans amentiam, qua sibi persuaserit, *vno* ab *edictulo*, calliditate, versutiis, fraude & dolis, ab adolescente Principe per ipsum expresso, totam repente Germaniam conterritam, deserturam libertatem suam, deserturam fidem, religionem, & veritatem: qua existimarit, tantillo ab ipso interposito terrore, exstinctum iri tam validum iam tum, tamque conceptis viribus *incendium* istud: qua ausus sit putare, *exustis* paullo ante *libris*, infractos esse Germanorum animos, non irritatos magis & exacerbatos. Se quidem ex quadam quasi *vigilia* in *Aleandri* & reliquorum Pontificis *adulatorum* opera

ac

(e) Pauca quædam ex Inuectiua hac excerpta leguntur in *Operib. Luther. Lat. VVitteb. ed.* T. II, p. 176. vbi scripta dicitur Inuectiua *Mense Aprili*, *anno* 1521.

ac sermones ita diligenter intendere aciem, confirmat Huttenus, vt id, quod pridie *Wormatiae* perorauerit Aleander (f), ipse postridie nona statim hora in *specula* ista sua intellexerit; vbi ipsum aliquo cum metu latitare, iactaret cum reliquis Aleander: vt optime nosset, quanta confidentia apud honestum virum idem hic locutus sit, *cerebrum non esse Germanis, neque sensus esse, aut rationem: qui quamuis Pontificium excusserint iugum, fore tamen, vt suam nihilominus dignitatem, suum regnum tueretur Pontifex: qui tantum ingenio valeret, vt certum esset, quam primum id ausi fuerint Germani, exitiabili ipsorum clade expiatum iri facinus: vtvt graue hi incusarent iugum istud: hoc nonnisi longe grauiori eos esse commutaturos.* Non minus acris ea est oratio, qua in *Marinum Caracciolum* inuectus est (ff): id quod vel ex solis his verbis non

(f) de *Aleandri* huius *oratione*, quam *VVormatiae contra Lutherum* habuit, calumniarum refertam, maxime, & ex qua neque magna eloquentia, neque eruditio eluxit, videatur ill. *Seckendorf. Hist. Lutheranismi*, Lib. I, § LXXXI, (3). § LXXXIX, (1). & § XCI, Addit.

(ff) & haec inuectiua magnam partem inserta est Tom. II *Oper. Lat. Lutheri*, *VVitteb.* ed. p. 176.

non obſcure colligi poterit: *Reclamamus tyrannidi veſtræ crudeli & abominandæ: contra vim reluctamur: imperium detrectamus: potentiæ reſiſtimus: ad libertatem paſſim conſpiramus: atque hæc omnia obfirmate adeo & pertinaciter agimus, vt putatum nuper ſit, ſatis inuidioſos vos infeſtosque vulgo redditos: tu nihilominus, quaſi nihil horum ad te pertineat, ſceleratas tuas negotiationes, ſecure, vt numquam ante, exerces: & aliis quidem pretio peccata indulges: aliis vero pacta pecunia, vt peccent, permittis. Iuuentutem Germanicam pretium pro connubiis poſtulas. ius, fas, licitum & honeſtum emi abs te pateris. fidem, religionem, æquum & iniquum pretio addicta habes: contra leges aurum & argentum accipis, nefario inſtituto a pauperibus noſtris pecuniam exprimis: O audaciam ſingularem! - - - Vobis rapere amplius hic, fraudare, & furari non liceat: tributarii deinceps Vrbi non ſint, quos imperare Orbi conuenit. morum aboleatur hæc a vobis inducta iſtinc contagio. liberæ ſint hominum conſcientiæ. veritas in luce verſetur. Euangelium in auribus vulgi ſonet. Pontificum conſtitutiones vltra Garamantas & Indos exſulent. bullis vexare poſthac Germaniam non liceat: tantumque abſint hæ a nobis, quantum ab vrbe Roma*

lites, si quae de sacerdotiis nostris oriantur. Breuiter, vt & liberi sint Germani, & recte Christiani. --- Nimis diu mente capti, iam resipiscimus. Tot annos fascinati praestigiis oculos recepimus. Facesse improba furta, perdite, nefariam expilationem, iniquissima iudicia! Hactenus haec tulerimus. Ablata illa est a vobis inducta olim nostris oculis caligo. praedicatur Euangelium. veritas adnuntiatur. vestrae leges frigent. Romanae despicatui habentur nugae. spes est libertatis. Desine vlterius praedam tuam certissimam putare, quotquot nefas sibi licere volunt! Non dabitur posthac mores corrumpere tibi, conscientias iugulare, mentes deprauare. Intercessum est facultatibus tuis. Tertiam Inuectiuam (g), hac insigniuit inscriptione: *Vlrichus ab Hutten Eques, Cardinalibus, Abbatibus, Episcopis, Praepositis, & vniuerso Sacerdotum Concilio, Lutherum & Veritatis ac Libertatis caussam apud Wormatiam nunc impugnantibus, Resipiscere.* Initio confirmat, si per machinationem ipsorum, qua tutum sibi non sit inter homines versari, licuisset, quae tunc scriberet, auribus omnino ipsorum magno animo,

(g) integra fere legitur ea Tom. II *Oper. Lutheri Lat. VVitteb.* ed. p. 177, b.

nimo, & optima conſcientia ſe ingeſturum fuiſſe. quia vero, ipſos æquitatem per potentiam opprimere, videret, & leges conculcare, præſentiam quidem ſuam continere ſe decreuiſſe ab ipſis; ſententiam tamen veritatisque teſtimonium contenturum ſe non eſſe: cui propoſitum eſſet, ſi moriendum eſſet, etiam, *non deeſſe æquitati*, & *pro patria libertate contra oppreſſores & tyrannos ad vltimum vſque ſpiritum depugnare.* neque hoc tantum, vbi ad ſe (quem nouæ calamitati reſeruaturi ii viderentur) ventum fuerit, ſed vel maxime iam tum, quum *Martinum Lutherum, hominem vita & moribus* ſic *probatum*, vt ne ab inimicis quidem ipſis, improbatus adhuc eſſet, *prædicatorem veritatis, & Euangelicæ doctrinæ diſpenſatorem fideliſſimum*, per ſcelus & iniquitatem adfligi ab ipſis, lacerari & concerpi, videret. vbi *egregios* ipſos haberet *concertatores;* qui, deſperata probatiſſimarum ſcripturarum auctoritate, diffiſi ratione & teſtimoniis, mutantes clypeos, Danaumque inſignia ipſis aptantes, id eſt, ad peſſimas artes inito refugio, armati fraude & dolis, nouo certandi

 vſur-

vſurpato genere, *edictis* Lutherum, & qui a partibus huius ſtarent, oppugnare ſuſtinerent. illi enim, quia veritatem ipſis dixerit, exitium eos moliri, hos, qui optima conſcientia tyrannidi ipſorum reclament, e medio tollere eos cogitare. qui veritatis, quam exterminatam velint, loco, Pontificum conſtitutiones, meras nugas, ſed quæ ſeria ipſis ducerent, (nam lucro has ipſis eſſe) adhuc ſuppoſuerint. qui nunc *Lutheri doctrinam*, quæ reprehendi non poſſet, nouis mendaciorum cuniculis adgreſſi, ipſum auctorem optimi meriti conſcium ſibi, virtutis eius inuidia, inuerſique ipſis lucri dolore, euertere & peſſumdare conentur. timere enim eos, ne, *ſi reuiuiſceret Euangelium, ipſorum auctoritati atque luxui aliquid decederet.* quare illius omnis probæ inſtitutionis plenos libros exuri eos paſſim curaſſe, horumque lectione humano generi interdicere; manifeſtam voluntatis ſuæ ſignificationem dantes, cupere ipſos, *ne ingenia eſſent in Germania, & virtutem omnem depreſſam eſſe atque exſtinctam:* ſiquidem, *ſaluis veritatis ac religionis monimentis, tyrannis ipſorum*

con-

consistere non posse videretur. En, exclamat, *pastores Christianæ plebis, quos quum orare decceat, vt sermo Dei currat, & glorificetur, impedimentum obiicere illi videmus, & dedecus admoliri! Inspiciat hæc ab alto Seruator Christus, & iudicet! tandemque efficiat, vt in capita inuenientium regerantur tam noua, tam insolita sceleris & impudentiæ exempla!* Vt viderent aduersarii, quanta istorum minas fiducia contemneret, aperte adfirmabat: *Donec quidem aut Lutherum, aut huiusmodi quemquam persequemini,* hostem *me vobis profiteor* infensissimum. *Atque hanc voluntatem mihi nulla vestra vis, nulla fortunæ iniuria auferet, ne mutabit quidem. Porro, vitam quum abstuleritis, hoc meum tamen quo minus permaneat in patriam bene meritum, hoc recte factum, vt moriatur, non efficietis. Quod in cursu est, forsitan sistetis; quod futurum, prævenietis: quod factum vero, infectum non reddetis. Fieri enim non potest, vt cum vita simul auferatis vitæ memoriam. Non. Mihi quidem sicut dubium est, ad quem hæc tendant exitum; ita certum proponitur,* optimæ conscientiæ opinionem ad posteros venturam. *hunc maximum vitæ fructum cœpero. Et vt alia quoque de caussa pertinacissimam esse*

 mibi

mihi persequendi vos obstinationem, cognoscatis, a Deo præmium mihi, *si quid contra vos obtineam*, spero: *quo minus arbitremini, pœnam me timere. Gratum enim esse illi, scio: vt, amotis a sacrorum contrectatione talibus, locus sit iis, qui digne administrent. Et in extremo illo iudicio, tutum magis fore confido, offendisse vos, quam demeruisse; & cum tumultu exegisse melius, quam per quietem patienter tulisse: præsertim piam commonitionem quum sitis adspernati.* Grauiter inprimis conqueritur Inuectiua hac Huttenus, quod *Carolus Imp.* qui quidem iniquissimam istam postulationem diu renuerit, efflagitationibus denique fatigatus, minis etiam compulsus, vt molestia vacaret, & periculum declinaret, dederit, quod dare non potuerit, & si potuerit, dare non debuisset. Hoc exsultasse aduersarios, hoc inuicem gratulatos esse; qui *exsilium* & *mortem*, velut digna *præmia*, quæ *libertatis adsertoribus* rependerentur, minitari tum perseuerassent, suadentes Imperatori, inceptam proscriptionem vt acerbissime exerceret, rebus, patria, vita etiam *Lutherum*, &, qui huic faueret, *Huttenum*, exueret.

quos

quos vero persuasum sibi habere hic iussit; *multos esse Lutheros, multos passim Huttenos:* &, si quid his acciderit, eo maius ab aliis futurum istis periculum: quod, cum *libertatis adsertoribus innocentiæ vindices, & iniuriæ vltores* coniungi iam, viderent; quod pro certo habere possent, non defuturos *Euangelio* suos *defensores*, non defuturos *libertati vindices*. Summa Huttenum copia & singulari plane facultate dicendi excelluisse, tot iam & in hac & in priore Commentarii mei Parte exempla atque testimonia attulisse ego mihi videor, vt, plura abs te desiderari, Lector, non putem: verum clarius nullum testimonium dari posse censeo, ipsa illa, quæ in volumine sequitur, *ad Carolum Imperatorem pro Luthero, & Veritatis ac Libertatis caussa, Exhortatione* (h). Hac postquam ostendit, *Lutheri caussam* communis Germanorum libertatis oppressionem, ipsius Imperatoris status lapsum, eiusdemque dignitatis proculca-

 tio-

(h) quæ Tom. II *Oper. Luther. Lat. VVitteb.* ed. p. 181, b seqq. integra inserta est. *Cyr. Spangenberg*, in *Adelspiegel* P. II, Lib. VI, p. 47, a, eam appellat *einen ernsten, doch herrlichen tapffern Brief.*

tionem coniunctam habere: iniquius quicquam fieri posse negat, quam si delato ab Romanensibus Luthero *dicendæ caussæ potestas* á Carolo non fiat. calamitosius & peioris exempli quicquam accidere posse Germanis, negat præterea, quam si *publicæ libertatis adsertor* puniatur: postea quam Romanenses isti *edictum* iam extorserint Imperatori, quo librorum istius lectione orbi interdiceretur; vitæque eius contineretur præiudicium, magno cum dolore publico. qui *Lutherum in crimen vocarent, quod contra instituta ipsorum, immodicam potestatem, fœdum luxum, ac deprauatos ipsorum vitæ ritus, pro Christi doctrina, pro patria libertate, pro bonis moribus scripserit ac dixerit:* qui *fremerent, lucrum interuerti sibi, suauem illam viuendi consuetudinem abrumpi, tyrannidem aboleri:* quod quia ipsi aliter interpretarentur, opinionem iam tum fere exiisse, *hæresin sapere etiam peruersissimam quascunque Lutheri doctrinas.* De indignitatibus, molestiis, & Romano iugo multa conquestus Huttenus. libere Imperatori profitetur, graue fuisse in Auo *Maximiliano*, quod *nimium Scribis tribuerit,* cuius

cuius generis homines nimium multos in aula habuerit: *De te*, pergit tum, *vt loquentur homines, qui tot habes dominos, quot vagantur circa galeriti Cardinales, mitrati Episcopi: quum ille Auus tuus auctoritatem inter suos quantumcunque potentes tamen obtineret?* De hoc confirmat denuo, quod alibi memoriæ iam prodiderat (i); *licet complura fœdera atque pactiones, cum Pontificibus factas, refocillasset is, quum sæpissime hæ languerent: & tamen haud multo ante, quam moreretur, testatum eum esse, neminem sibi eorum Pontificum, qui suo tempore per aliquot & triginta annos fuissent, fidem tenuisse. Fac vero*, compellat Imperatorem, *quæ sancita inter vos sunt, constantissime seruare Pontificem: tamen neque honestum tibi est, neque Germaniæ ferendum, hoc pretio pacem emere te. Nam & imperio Italiæ cedis illi, ac vrbe Roma, Imperii domicilio: & gratiam facis expilandi, quoties libeat, Germaniam: neque pro annatibus pretium persolui, aut pallia emi, prohibes: & bullis nundinari hic permittis: & Curtisanis non vitam tantum, sed regnum etiam concedis. Hac mercede pactam amicitiam, his conditionibus initam pacem, communi*

N 4 *bono*

(i) videatur supra pag. 137.

bono esse, interpretari licet? *Epilogus* tam disertus mihi videtur, tam elegans, vt vel solus abunde testari queat, nostrum in facundia Latiarumque litterarum scientia ac cognitione nemini æqualium, cuiuscunque hi fuerint nationis, concessisse, omnes potius longe multumque superasse. Nec exiguæ gloriæ ducendum esse Germaniæ, opinor, quod ciuem, exterminata vix barbarie, ostentare potuerit, de cuius doctrina & eloquentia ipsa Roma fuisset gloriata. Facile tibi mecum conueniet, spero, Lector, si ipsum Epilogum cognoueris, qui hic est: *Romanenses istos mitte: qui non ad hoc venerunt, vt vel amicitiæ tibi cum Pontifice auctores essent, vel aliquid in commune consulerent! Curiosi & speculatores adsunt, qui omnia dicta & facta nostra exquirant, ac perdiscant, vt hinc Romam nuntient. Vbi quum periculum esse sciret prouidus Leo, hæc ad te misit pignora, quæ negligere facile posset, duos magnos nebulones, aliis atque aliis instructos artibus; hunc dissimulatorem longe peritissimum, illum in omne facinus audacem & præcipitem: ceterum vtrumque nulla virtutis moderationisque vel opinione præditum. Atque hi officii du-*

xe-

xerunt, omnia apud te maligne, inique & perverse agere. Neque aliter adhuc intellecti sunt. Quæ petunt vero, si vel arte, vel blanditiis minus obtineant, terrore ac minis extorquere statuerunt. Id quod clare de se professus Aleander *iste nuper est. Quos tales talia machinantes impunitate hinc elabi sinemus? Tu quidem, vt video, sines. Verum esse adhuc in Germania homines, puta: qui etiamsi te offendi ad tempus (quod perpetuo postea prosit) oporteat, aliquid laudis & gloriæ secum agitent. Hique simul, ac boni omnes, mecum nunc te orant & obtestantur, ab errore malo. & pernicioso, ac a pessimis istis consultoribus vt auocari te patiaris. vtque perspecto, quæ sit Germaniæ nunc facies, quis habitus, hominibus te accommodes, qui & velint, & possint, vtilia tibi ac honesta consulere: etiam consilia, quum opus sit facto, exsequi.* Lutherum *vero vt audias, etiam diligenter: neque eum virum, quem nocentem etiam, tot optimatum & bonorum virorum voluntati concedere haud indecorum erat, iuri & legibus, quo confugit, denegare. Qui alioqui, si trepidaret etiam, audiendus tamen esset. Nunc magna conscientiæ fiducia caussam dicere quum cupit, admittendus omnino est. Nam si esset suspectus etiam omnibus, tamen purgan-*

di facultas denegari non deberet. Nunc optimo cuique cognita & perspecta eius fides quum sit, & a paucissimis, quibus ob virtutem inuisus est, deferatur, nihil debes alienum a legibus, ab antiquo more, a publica consuetudine admittere. Hoc ea fide, qua Imperatorem te habemus, deprecamur. Praeterea, quia nemo dubitat, cum Lutheri caussa quae sint connexa, credas, omnem nunc Germaniam, quasi ad genua prouolutam tibi, orare cum fletu, obtestari cum lacrimis, opemque, misericordiam & fidem implorare, exposcereque, vt se serues, sibique reddas, a seruitute liberes, a tyrannide vindices: per sanctam memoriam eorum, qui sub Romanis olim, toto orbe potitis, seruire se passi non sunt; ne haud bene viris istis, mollibus & effeminatis, parere nos permittas. (*) Ad *Albrechtum Brandenburgensem, Archiepiscopum, Cardinalem, Epistola,* quae ad Carolum Imp. scriptam excipit, verbosa quidem non est, at tam grauis, vt singula eius verba, singula pondera & argumenta esse videantur: id quod ex hoc eius particula intelliges, Lector. --- *Itaque in iis, quae a me scripta totum istud Concilium atti-*

(*) Libri editionem videre me memini, in qua insequentes *tres Epistolae* adiectae non erant.

attinent, ne offendere, si potes. si offendi vltro vis, vtpote magna illius pars, scias potiorem esse debere bonis omnibus, Veritatis & Libertatis adſertionem, *quam vllius amicitiam; dolereque acerbiſſime vicem me tuam hac in parte. Breuiter: tibi faueo, te amo, & colo.. Isti cauſſæ* inimicum *me &* impugnatorem *profiteor* perpetuum. *Eaxit ſeruator Christus, vt deſeras* eccleſiam malignantium, *& , accepta ſaniori mente, cum impiis non amplius ſedeas. Hoc ego ſanguinis mei iactura etiam, ſi poſſim redimere, impigerrime velim & fortisſime. Optime vale, & aliquando ad veritatem & Chriſtum, ab antichriſtis iſtis, & fœda mendaciorum congerie reſpice* (k). In *altera ad Carolum Romanorum Imp. Epiſtola*, quæ ſubſequitur, veniam quaſi expoſcit. *Duriuſculam* enim proxime ad ipſum datam *epiſtolam* fuiſſe profitetur, *optima tamen mente & ſcriptam & transmiſſam. Putabam*, ſcribit, *in tam iuſta indignatione licere mihi, & facere libere & ſcribere: præſertim tuo bono quum iſta conarer. Nam quid ad me priuatim attinet, quæ iniqua & abſurda moliuntur apud te iſti? Nonne per omnia aut tuo*

(k) data eſt Epiſtola ex *Ebernburgo VIII Calen. Apriles an. M. D. XXI.*

tuo honori consului, aut publico deesse nolui? --- nondum sciebam, te eam habere animi constantiam; cuius haud dum capacem istam esse ætatem putaram: quod hominibus experientia rerum longo tempore exercitis, contigisse videram, vt malorum consiliis deponerentur: id si iuueni tibi metui, non debes improbare susceptam pro te curam: si vero indignatione etiam atque ira exarsi, pietatem interpretari. Nam hoc restat deprecandum abs te, si in acerbitate doloris, quem ex summa rerum indignitate conceperam, eam admisi perturbationem, per quam despicere non potui, quid te dignum esset: & in mira animi commotione, minus habui rationem Maiestatis tuæ, vt condones errorem piæ adfectioni. Nam quis, cui vel cor sit Germanicum, vel ea, quam habere omnes debemus, in patriam hanc, & te patriæ Patrem pietas; si audiat, primum iactare istos, sine suo scito, suoque adsensu, nihil te facere neque debere si possis, neque posse si debeas: *deinde iniquissima postulare etiam; non in summam animi perturbationem erumpat? --- Tu vero, ne sine deteriorem esse conditionem meam; quam fuit apud felicis memoriæ* Friderichum primum *eius, qui Legatum Ro. Pontificis, iactantem* Episcopo Ro-

Romano ſubeſſe Imperatorem Romanum, *ſtricto gladio, in oculis adeo Cæſaris, inuaſit: quum iſti petulantius adhuc multo te contempſerint. Quorum vocem quis non, liber ſaltem, aut Germani ſanguinis, cum gemitu audiuit:* Beneficio Pontificis eſſe Imperatorem te, neque fore, ſi ille nolit: etiam Imperatoris Romani electionem ex nutu pendere Pontificis? *O ſermonem atrociſſimæ iniuriæ, & fœdiſſimæ contumeliæ plenum! Me quidem, ſi non facillime impetrem nunc abs te, vt, quod honeſta commotione erraui, condones, aurium ſenſu carere poſthac velim: ne quid vmquam tale audiam. --- Feriat me gladius tuus, ſi non omnia, & quæ placere tibi poſſunt, & quæ diſplicere debent, patriæ amore ac tui ſtudio ſcripſi* (l). Vltimam voluminis *Epiſtolam, Bilibaldo Pirckheymero, Senatori Norimbergenſi*, inſcriptam, non poſſum, quin integram adferam, tam elegans, tam grauis vel hæc mihi videtur (ll). *Audieram a Cæſarianis quibusdam, voca-*

(l) ex *Ebernburgo VI idus Aprilis an. M. D. XXI.*

(ll) Laudat & hanc *Cyr. Spangenberg*, in *Adelſpiegel.* P. II, lib. VI, p. 47, a. Præter *elogium Franc. de Sickingen* integra occurrit T. II *Scriptor. Lutheri Lat., VVitteb.* ed. p. 175, b. Binæ hæ poſteriores epiſtolæ,

vocatum ad dicendam caussam Lutherum. *Mentiti sunt. Non fuit. Nam hoc tantum ab illo quæsitum est in Concilio*, quædam ab se scripta num recantet? *Respondit constantissime*, recantaturum, si conuincatur, scripsisse erronea. *Quæsitum iterum*, num recantet? nam ante multo damnata esse, quæ scripserit. *Orauit*, ne se cogant ad palinodiam iniquissimam, vt contra conscientiam damnet, quæ probatissima esse sentiat. *Vrgentibus tertio*, num recantet? nam hoc tantum velle scire Cæsarem & Principes. *Respondit*, nec posse, nec velle, quæ probatissimarum scripturarum testimoniis fulcita habeat.

stolæ, ad *Carolum Imp.* & *B. Pirckheimerum* scriptæ, *Germanice conuersæ* coniunctim prodierunt, sic insignitæ: *Ein Sendbrieue so Vlrich von Hutten an Kayserl. Maiestat gethan, bebstliche botschafft betreffende, vast lustig zu lesen. Ein anderer Sendbrieue, so der obgemelt von Hutten, an einen nambafftigen bürger tzu Nürinberg geschriben, Doctor Martinus Luthers Abschid von VVorms betreffende, in welcher wohl zu mercken dy grossen Argelist, so die Romischen fürgewent haben, hye in kurtz begriffen.* quæ ad *Pirckheimerum* data est primum locum obtinet; licet illa, quæ ad *Carolum* scripta est, & in titulo & in ipso, quod Latine scriptas Epistolas istas continet, volumine primo sit collocata.

beat. *Hoc satis fuit, cur extreme condemnetur* vir Dei. *Dii immortales, quem euentum res habebit? Profecto sic arbitror, hac maxime tempestate cognitum iri*, Principes *habeat Germania, an a* bene vestitis *regatur* statuis. *Ecclesiastici illi quæ consulunt in Lutherum, vincunt omnem impietatem, omne scelus. Mihi lacrimas excussit proximum eius ad me epistolium; quo scripsit*, quam indigne habitus sit: *inter cetera*, dimitti se cum edicto, ne in via prædicet verbum Dei. *O iniquitatem extreme detestandam! O scelus, quod inexorabilem Dei iram mereatur!* Alligari verbum Dei, Euangelico doctori os obturari! *En Christianos Principes! Quid dicent exteri? Me pudere incipit patriæ.* Ioannem Eccium Treuerens. officialem, indoctissimum sophistam, *oratorem inuenerunt. Is dixit contra Lutherum, sic cupide, vt non dubitetur, aliquid habere eum de pecunia Pontificis, quam ferunt per largitionem profusam, ad multa aureorum millia. Ausus est sceleratus nebulo conuiciis proscindere* pium Euangelistam. *Vbi sunt, qui ita interpretentur*, consuluisse hoc aduersarios, quo possint ab irritato sic illo exprimere maledictum, quod capitale posthac ipsi esset.

ſet. *Vide impiam machinationem! Ex iureconſultis quidam diſputant*, nec debere, nec citra iniuriam poſſe fidem ſeruari Luthero a Cæſare. *Optimos viros! qui non videntur tibi, vno omnes die cum tota illa ſua iniuſta iuſtitia pellendi Germania? Vellent impii Epiſcopi maiores ſuos, qui tale exemplum ediderunt in concilio Conſtantienſi, exuſto* Io. Huſſo, *imitari. Cæſarem, aiunt, decreuiſſe propugnare Pontificis partes, & Eccleſiam Romanam pertinaciſſime. Huc illum adegerunt mali conſultores. Magna igitur ſacerdotum paſſim exſultatio. Statim triumphabunt. nam colophonem arbitrantur impoſitum fabulæ, neſcientes miſeri, quantum adhuc abſint a fine, & reſtare vltimum adhuc actum. Quidam publice propoſuit ſchedium, quo continetur*, quadringentos ex nobilibus coniuraſſe pro Luthero; *& adiecit* Buntſchuch, Buntſchuch. *O homines extreme importunos! Prodeſſe volunt Luthero, pernicioſe obſunt. Quamquam ſunt, qui ab inimicis confictum hoc putent, ad mouendam illi inuidiam. quod valde mihi veriſimile eſt. Excita tuorum hominum animos. Nam quædam in* Ciuitatibus *mihi ſpes eſt, propter ſtudium libertatis, peculiare vobis.* Franciſcum *habemus in partibus.*

bus, non fauentem iam, sed commotissime ardentem. Totus imbibit Lutherum: *inter cœnandum illius opuscula legi iubet. audiui iurantem,* non defuturum se, quantocunque suo cum periculo, veritatis caussæ. *Scias, oraculum esse hanc vocem. talis* constantia *est. Prædicabis hunc apud tuos ciues hoc elogio:* Maior animus in Germania non est. *Vellem nulla esse eius in me beneficia (quæ sunt plurima) ne quis arbitretur, hanc me illi referre gratiam. Hoc vno grauor, quo minus totum me effundam in laudationem virtutum illius, quas habet plane* heroicas. *Nam* in eius consilia nihil humile cadit. *Deus seruet spiritum, quem in illo excitauit! Sed* orat Lutherus, & ego præeunti illi succino. *Sed ad ipsum redeo. Fertur diuino instinctu manifestissime, ac humana omnia consilia excludit, totusque a Deo pendet. Mortem autem, vt nemo vmquam, contemnit. Christus seruet* Euangelistam *suum, vel ad tempus, quo in animis hominum* vera pietas *coaluerit! Abeuntem eum sequetur* edictum *(vt mihi scribunt amici)* longe atrocissimum: *cui valde metuo, ne bona Germaniæ pars reclamatura sit. sic ardent factiones. Hæc de multis pauca. Tu aliquid item ad me perscribe; quod*

diu iam non fecisti: ac vale. ex Ebernb. *Cal. Maias.*

Binas eodem ferme tempore Huttenus *ad* ipsum *Lutherum* dedit *Epistolas*, & propensæ in hunc voluntatis, & integerrimi, quo animus eius erga puriorem Religionem flagrabat, ardoris plenissimas: quas integras habeto (m), optime Lector. *Martino Luthero, Theologo, Euangelistæ inuictissimo, amico sancto.* Exaudiat te Dominus in die tribulationis. protegat te nomen Dei Iacob. mittat tibi auxilium de Sancto, & de Sion tueatur te. tribuat tibi secundum cor tuum, & omne consilium tuum confirmet. impleat omnes petitiones tuas, & exaudiat te de cœlo sancto suo, in potentatibus dexteræ suæ! *Quid aliud enim debeo precari hac tempestate tibi, mi amicissime* Luthere, *mi venerande Pater? Confortare & robustus esto! Vides, quæ in te alea currat, qui cardo vertatur. De me non debes vnquam dubitare: dum quidem constas tibi, ad vltimum*

vsque

(m) quales seorsim *VVittebergæ* in 8 prodierunt: nam Tom. II *Op. Lutheri Lat. VVittebergæ* edit. posterior non integra, & paullulum immutata, est inserta p. 176.

vsque spiritum adhærebo. Circumdederunt te canes multi, & concilium malignantium obsedit te. aperuerunt super te os suum, sicut leones rapientes & rugientes. exsultant & lætantur super te, quærentes te. sed Dominus sollicitus est tui, & reddet retributionem superbis. consurget tecum aduersus malignantes, & tecum stabit aduersus operantes iniquitatem. reddet impiis iniquitatem suam, & malitia sua disperdet eos. *Sic profecto fiet, sic Luthere. Nam conniuere ad tantam vlterius prauitatem non potest Deus, iustus iudex & fortis. Pugna strenue pro Christo,* & ne cede malis, sed contra audentior ito. *Fer adflictionem, vt bonus miles Christi Iesu, vt suscites donum Dei, quod in te est: certus, quod is, cui credidisti, potens sit depositum tuum custodire in illam diem. Ego idem strenue conabor interim, sed* in eo differunt vtriusque consilia, quod mea humana sunt, tu, perfectior iam, totus ex diuinis dependes. *Vtinam spectare liceat, quibus te oculis intueantur isti, quas obuertant frontes, quæ stringant supercilia. Equidem atrocissima omnia concipio: neque fallor, credo, sed spero, tempus est, vt* purget Deus

vineam Sabaoth, quam deuaſtauit aper de ſilua, & ſingularis ferus depaſtus eſt. *Hæc breuiter, in ſumma de te ſollicitudine. Seruet te Chriſtus!* *Ex* Ebernburgo, *XV Calen. Maii, raptim. Anno M D XXI.* *Altera* ad *Lutherum Epiſtola*, paucis oppido interpoſitis diebus, ſcripta, hæc eſt. *Martino Luthero, Theologo, Euangeliſtæ inuictiſſimo, amico S. Salutem in Chriſto Seruatore.* Quis conſurget mihi aduerſum malignantes? & quis ſtabit mecum aduerſus operantes iniquitatem? *(Seruator Chriſte, cœleſtis Pater, & Sacrum πνεῦμα). Quæ quam atrocia audio, furia non eſt furia præ iſtorum furore. Opus eſſe video gladiis, & arcubus, ſagittis & bombardis, vt obſiſtatur cacodæmonum inſaniæ. At tu, optime Pater, animo confortare, nec te conuellendum præbe. Clament iſti, vociferentur & rabiant. Tu belluis medium digitum oſtende. Magis ac magis video, fauere optimum quemque tibi. non carebis defenſoribus; neque deerunt vmquam vindices tibi. Quæ ſcribis,* ſecreto acta tecum, *non eſt, vt conſilium demus nos; neque enim dubitamus, quin, optimum quod erit, electurus ſis, & in eo perſtiturus fortisſime. Multi adierunt me, pro ſuo in te ſtudio ſollicitudine monentes hæc:* Vtinam

nam non deficiat! vtinam conſtanter reſpondeat! vtinam nullo terrore ſinat deponi ſe! *Pertinaciter adfirmaui*, Lutherum fore te. *Neque me feſellit opinio. ſic me intelligo reſpondiſſe, vt nihil deſiderare debeamus. Sed in finem vſque perſeuera. Hoc faxit Chriſtus, vt magno ſuo cum dolore talem te inueniant improbi! Cogit me amicorum prudentia, verentes nimium aliquid auſurum, adhuc quieſcere. alioqui ad ipſos muros concitaſſem aliquam turbam pileatis iſtis. Sed poſt paullo emittendus ſum: vbi euaſero, videbis, nec me deeſſe in hoc genere ſpiritui, quem excitauit in me Deus. Vror anxie videndi te cupiditate. huc inflammat caritas. Fac nos certiores rerum omnium tuarum & ſtatus, ac optime vale. Ex* Ebernburgo *XII Calen. raptim. M D XXI.*

Circiter tempus hoc *Epiſtolam* hanc *ad Præpoſitum quemdam* (n) ſcripſiſſe noſtrum

(n) Ad *Bartolom. Bernhardi*, *Cambergenſem Præpoſitum*, ſcripta forſitan eſt Epiſtola hæc. Is certe ipſo iſto *XXI ſæculi anno* a Magdeburgenſi Epiſcopo *Alberto*, toties in Commentario hoc meo nominato, in iudicium vocatus eſt, vt de *matrimonio*, quod *omnium Sacerdotum Lutheranorum primus* tum inierat, cauſſam diceret: cui *Apologiam*,

ſtrum, coniicio: quam *Dominus Chriſtophorus Iacobus Im Hof, Vir generoſus*, in præfatione honoris cauſſa a me nominatus, *manu ſcriptam* beneuole mecum communicauit, ex publica illuſtrisſimæ Reip. Norib. bibliotheca depromptam. *Inferiorem profecto me eſſe, noſco, mi ſpectatiſſime Dne Præpoſite, quam vt T. D. in re tam cunctabunda modum præſcribam. verum malo T. D. in hoc morem gerendo, temeritatis notam incurrere, quam nihil reſpondendo, obſequium debitum denegare. Accipe igitur, digniſſime D. Præpoſite, quid ſentiam. Famæ tuæ iacturam nequaquam vereri potero, tum quod illuſtris illius*

am, qua *coniugii ſui rationes* expoſuit, exhibendam curauit; inſequenti anno in *patrium* etiam *ſermonem* translatam. vid. ill. *Seckendorf. Lutheran.* I, §. CIV. inprimis vero eruditam Diſputationem *VVitebergæ* an. 1703, ſub Præſidio cel. *Feuſtkingii* a *Georg. Petro Bolze*, de ipſo hoc *Bartholomæo Bernhardi, Primo Sacerdote marito Lutherano*, habitam. Quum *Elſulæ* mentio in Epiſtola Hutteni fiat, Præpoſitum de *matrimonii ſui negotio* in conſilium adhibuiſſe eum, colligo. nam *venerabatur* (verba ſunt diſputationis cit, §. XIIX) *Bernhardi, ſuperſtitionum Papalium oſor, & colebat eos, qui illis temporibus Pontificis Romani conſtitutionibus ſe opponebant, & adſertionem veritatis deamabant.* Nec *Huttenum* igitur noſtrum colere is non potuit.

lius Baronis præsentia contubernium non potest non summe honestare, tum quod illum ipsum potius, quam Elsulam *secutus videberis. quare, quicquid in hac re feceris, feliciter cedat, opto. Vale. D. E. VI Iulii.*

Quo tempore Carmen, insignitum, *Beklagung der Freistette Deütscher Nation*, in 4, ab Hutteno foras datum sit, liquido confirmare non possum: quin vero eodem hoc XXI anno lucem adspexerit, dubitandum non censeo. nisi erunt, quibus in sequentem annum referendum id potius esse videatur, ab Hutteno idcirco editum, vt Ciuitatum fauorem *Francisco de Sickingen*, grauissimo bello tum impedito, excitaret. Non ita verbosum illud est: in quo ea, quæ vsu sibi paullo post euenerunt, vt vates sic cecinit auctor:

Ich weis, ich werd noch landts veriagt,
Vmb das ich solch nicht schweigen kan;
Vnd nim des dings allein mich ahn:
Doch ist es war, vnd ist nicht recht,
Man wœll dan machen krump zu schlecht.

Liberas Imperii Ciuitates hunc in modum extremo carmine compellauit:

Drumb fromme stet euch macht bereit,

Vnd nempt des adels freundschaft an (o).
So mag man diesen wiederstan,
Vnd helffen Deutscher nation,
Vormeiden schaden spot vnd hon,
Die vns bey frembden aufgelegt.
Die sache die sich billich bewegt,
Das sie vns reden schmechlich nach:
Des sein die fürsten ein vrsach,
Die massen sich gantz keiner schandt.

Das

(o) de *fœdere* eiusmodi *Nobilitati* cum *Ciuitatibus* ineundo in *Dialogo Prædones* inscripto p. 37, a, ita iudicauit: H. *Quum illud veniet tempus* (quo *Sacerdotum* grassaturæ serio resistetur) *hoc agendum nobis arbitrabor, vt honestissimas Germaniæ Ciuitates, dimissis, si quæ fuerunt prius, simultatibus ac inimicitiis, in rei societatem accipiamus. Nam vehementer video ad libertatem erectas eas, ac fœdæ seruitutis pudore adfici, vt nullum alium ordinem. habent autem vires, & pecunia abundant, vt, si bella agenda hæc sint, vt agentur credo, neruos suppeditare sciant. -- Ego quidem numquam deero tibi exhortando, & efflagitando, vt te Germaniæ accommodes ibi, Francisce. quod dupliciter illi sit vtile: primum, vt perniciosa hactenus dissensio tollatur e medio, & concordia iungantur inuicem duo potentissimi ordines: deinde, vt a* captiuitate impiorum sacerdotum, *qua nulla durior, nulla pudenda magis esse potest, postliminio redeat patria, Libertas Christiana restituatur sibi, Veritas elucescat, Christo gloria sit.*

Das wissen itzt auch fremde landt:
Vnd reden billich wie es ist.
Hilff vns zum besten her Hiesu Crist,
Denn du allein der Helffer bist. Amen.
Bey dem wein aus dem freien francken lant
Bin ich alleyn guten Christen gesant.

Nec ferme est, quod dubitem, quin tum & hoc scriptum prodierit: *Lebendige Abcontrafactur des gantzen Pabstthumbs sampt einer træstlichen ermanung an die freyen starcken Helden deutscher Nation, das sie doch einmahl das Vaterland von diesem hællischen Hund gar erretten. Kurtzweilich vnd træstlich zu lesen. Manes Hutteni.* & hoc itidem scriptum: *Entschuldigung Vlr. von Hutten wider etliche vnwarhafftiger ausgeben von ihm, als solt er wider alle Geistlichkeit vnd Priesterschafft seyn, mit Erklærung etlicher seiner Geschrifften* (p).

(p) Bina hæc scripta vbique locorum indagaui, sed frustra. Posterius commemoratur inter Hutteni scripta ab auctore *der 5ten Anmerckung Vlr. v. Hutten Leben vnd Reformation, im* Dritten Theil *Auserlesener Anmerckungen, über allerhand wichtige Materien vnd Schrifften*, p. 120. Prioris celeberrimus *Hermannus von der Hardt*, Tom. I *Autographor. Lutheri aliorumque*, p. 109 index mihi exstitit. *Patrio*

Idem *XXI annus*, mea ſententia, eſt, quo *Franciſcus de Sickingen* acriter pro Hutteno

Patrio ſermone confectum Poema conſpicere mihi contigit, hoc notatum titulo: *Auffwecker der Teutſchen Nation, an alle hohe vnd niedere Stände des heyligen Reichs ſampt eygentlicher, wahren Beſchreibung, vnd gleichſam natürlichen Contrafeyt, des Ræmiſchen Bæpſtlichen Hoffweſens. weyland von dem vortrefflichen edlen Ritter, Oratorn vnd Poeten, Herrn* Vlrich von Hutten, *vor 120 Iahren, vnſern geliebten Vatterlandt Teutſcher Nation, zur Auffmunterung in Truck verfertiget. VVelcher, weil er zu ietzigen Zeiten ſich ſehr wol ſchicket, vnd der vor dieſem ſeculo gewünſchte Held, vnd Erretter der Euangeliſchen Freyheit, nunmehr von Gott verordnete obhanden iſt, der Teutſchen Nation billich widerholet, vnd offentlich an Tag gegeben werden ſollen zum glücklichen Newen Jahr. 1632, 4.* Hutteni *equo inſidentis* præfixa eſt effigies, ſymbolo, *Iacta eſt alea*, & elogio hoc adiecto:

Qui res Marte gerit dignas, & qui bene geſtas
Arte canit, Lauri munera vterque capit.
Hutteni, vtrumque meres, Equitum *lux, gloria* Vatum,
Nam duplicas genii nobilitate genus.

Vtrumque ſcriptum *Lebendige Abcontrafactur*, puto, & *Auffweker*, vnum idemque eſſe, parum abeſt, quin ego mihi perſuadeam. in huius titulo non *120*, ſed *110* legendum eſſe, cenſeo. quod ad *Euangelicæ Libertatis Adſertorem*, qui in eodem huius ſcripti titulo memoratur, attinet, *Guſtauus Adolphus*, potentiſſimus Suecorum Rex, indicatur.

teno ſuo propugnauit contra *Schletſtadi-um*, *Alſatiæ* oppidum; quod eius cauſſa infeſtare non dubitauit (q). Inſequenti vero *XXII anno* ipſius Herois huius res ac fortunæ grauiter adfligi cœperunt. annus enim is eſt, quo *bellum* conflatum eſt, quod ipſi quidem *ſupremum* glo-

(q) de quo *Franciſci conſilio Cyr. Spangenberg*, in *Adelſpiegel*, Part. II lib. VI, pag. 46, a, ſic iudicauit: *Es hat ſich Frantz Von Sickingen auch des Vlrichs Von Hutten trewlich angenommen, auch des halben der Stadt* Schlettſtadt *hart zu geſezt, Vnd mag in dieſem hitzigen eiuer (wie dann alle Menſchen gebrechlich ſind) etwa auch wohl was menſchliches mit Vntergelauffen ſein, darzu denn die Vermeinten Geiſtlichen mit irer zu mahl groben Vnbeſcheidenheit Vnd zu Viel tyranniſcher Verfolgung reiner Lehre Vnd Lehrer groſſe Vrſach gegeben.* Hoc ipſum tempus fuiſſe, puto, quo *Huttenus Carthuſianos, quia imagine ſua pro anitergiis Vſi ſunt, in duobus millibus aureorum nummum multauit.* vt *Nic. Gerbelius* ad *Io. Schwebelium* in *Vigilia Thomæ Apoſtoli an. 1521* ſcripſit, epiſt. VIII, p. 25, *Centuriæ Epiſtolarum Theologicar. ad Io. Schwebelium.* Qua deinceps ratione in eodem *Schletſtadio* oppido *amicos* etiam ſuos, vt *Eraſmus* in ep. DCCIII ad *Melanchthonem* ſcr. tradit, *pecunia aliqua multarit* noſter, equidem ignoro. De *priore iſta multa* cl. *Bælius* in *Dictionario* ſuo hoc iudicium tulit: *C'étoit faire paier bien cher le peu de conſideration, que l'on auoit eu pour le laurier, qui couronnoit cette image.*

gloria, sed *extremum vitæ opumque omnium, amissionem, liberorumque exsilium* peperit (r).

Priusquam fortunæ istam, qua Heros hic vsus est, attingam vicissitudinem, de *Germanico scripto*, quod *vnicum* quantum ego quidem scio, non ficto nec celato nomine suo, Huttenus commemorato modo *XXII anno* diuulgauit, agendum est. Titulus eius est: *Ein demütige ermanung an ein gemeyne statt* Wormbß *von Vlrich von Hutten zugeschrieben.* Argumentum *Libelli*, siue *Epistolæ* potius, ex hoc eius initio pulcre satis intelligere te posse, persuadeo mihi, Lector. *Den Ersamen weysen vnd fürsichtigen Burgermeyster, Radt, vnd gemeyn der statt Wormbß, seinen lieben in Christo brüdern, Entbeüt Vlrich vonn Hutten zu dem Stæckelberg, den frieden vnd gnade Jesu Christi. Christlichen lieben brüder, diese Zeyt, da mir vmb bekantnyß der warheit willen vil widderwertigkeit vnd bekümmerniß*

(r) verba sunt *Hub. Thomæ Leodii* Tom. III Germanicar. rerum scriptorum ex bibliotheca *Marqu. Freheri* an. 1611. Frf. edit. p. 253. Scripsit nempe *Leodius* hic *de Francisci a Sickingen Eq. rebus gestis, seu potius ausis, & calamitoso obitu, Historiolam, ipso tempore exaratam:* quam *Freherus* integram Tomo isti inseruit.

niſſ zu handen ſtatt, werd ich verurſacht meynes eygnen anligens zu vergeſſen, vnd mich hertzlichen mit eüch in Chriſto zu freüen. Nachdem ich hœre, das auch jr in kurtz verſchiener zeyt auſs zuſchickung Gottes vnd jnnerlicher wirckung des heyligen Geyſts die heilſamen euangeliſchen lere angenummen, vnd vnnütze der menſchen gedicht, hapt zurück geſchlagen. & quæ ſequuntur. Metum præcipue de potentioribus abſtergere contendit Huttenus Ciuitati huic: in hunc inter alia ſcribens modum: *Das ſœllen wir allezeyt bedencken, vnd Gott vnſern helffer ſetzen, jm alleyn vertaüwen, auff jn alleyne warten vnd hoffen, nit achten ob die fürſten der welt ſich auff jren ſchwachen gewalt verlaſſen, vnd vns von der liebe Gottes ſchrecken würden, ſondern wo ſie das thæten, als ſie dann leyder yezt züm theil vnderſtehen, auff einem Chriſtelichen guten trutz zu jm ſagen, wie die apoſtelen,* Act. V, *zu den œberſten der jüden:* Mann muſſ mer Gott, dann dem menſchen gehorſam ſeyn. .... *Vnd wœlt Gott wir lieſſen nicht die wal der Chriſtelichen Hyrten, den* trunck-nen Thumherren, *ſonder vnderwünden vns der ſelbs, ſo würd man nit ſo vil* reyſiger biſchoff *in teütſchen landen finden, ſonder*

frumm

frumm gelert leüth, zu vnderweysung des volcks ziehen. Darum sollen wir vns gewalts der Antichristischen Bischoffen vnd Fürsten, *darmit sie den aufwachsenden wort Gottes, vnd heyligen euangelio entgegen seyndt, strenglichen auffhalten. -- Darjnn mœgent ir mich vnd andere ansehen, die vmb* bekantniß der warheit *willen ein zeyt lang vnsprœchliche grosse verfolgung gelidtën, vnd noch, bleib aber bestendig, vnd ich wil das für mich zugesagt haben, das ich, ob Gott wil, vest vnd hart halten, vnd biß zu end meines lebens auff dem weg der warheit bleyben wil. Solich fürnemen soll mir kein bitt abschmeychlen, kein traw abschrecken, kein gelt abkauffen. Dann ich* weyß, wem ich glaub, *vnd das mich Gott nit verlassen würt, das wœllent eüch mit mir auch trœsten vnd bestendig bleyben, damitt die freüd, so ich eüwert halben in mein hertz gefaßt, vollkommen sey. Das würt eüch erstlich zu eüwer selen seligkeit, darnach auch zu vil anderm guten reichen. Vnnd zweyffel nitt, wo jr also bestehen, alle eüwere feyndt werden vrsach haben, sich mit eüch in freuntschafft zu vereynigen, dann* das wort Gottes wircket den frieden. *So sehet jr yezt gemeinlich alle stett, vnd den merer theyl vom adel, darzu auch das gemeyn volck dem euangelio anhan-*

anhangen. Darum dærffen jr auch deshalben keiner feyndt, on was seyent feyndt des creutzes Christi, *verschen, aber vil werden sich mit eüch freünden. Dann euch gibt ein lebendigen trost der weyß* Salomon, *sprechend*: Wann die weg des menschen Gott gefallen, so kert er auch seine feyndt zum frieden. *Das wollent also behertzigen, vnd mich der eüch zu allen gutem in Christo geneigt bin, in eüwer bruderschafft beuolhen haben. Eüwer wil ich allwegen bey Gott vnd den menschen zum besten gedencken. Datum* Landtstall (s), *Sontag nach Jacobi. Anno M.D.XXII.*

Sickingensis Familia, ex qua toties iam memoratus FRANCISCVS DE SICKINGEN oriundus erat, ab arce eius nominis in *Cheruscis* nomen sortita, viginti annis ante apud suos tam nobilis non fuerat, quam idem hic *Franciscus* celebrem ac formidabilem eam tum reddidit (f). Qui, ne *patris Suikeri* virtutis degener,

(s) siue *Landstuhl.* oppidum est *Palatinatus inferioris*, iuxta quod Sickingii, in cuius erat potestate, arx *Landstein* s. *Naustal* sita erat: de qua infra sermo erit.

(f) natus CIϽ CCCCLXXXI, *Kalendis Martiis.* vid. paullo ante testis adductus *Cyriacus Spangenberg*, im *Adelspiegel* c. l. dilucide enim ibi res fortissime a *Francisco de Sickingen* gestæ exponuntur.

gener videretur, *Vangionibus* bellum intulit, in tertium vsque annum productum. hoc confecto, contra *Antonium Lotharingiæ Ducem* expeditionem suscepit: quæ quantum famæ ac honoris ei pepererit, verbis exprimi satis non potest. Enimuero non *Huttenus* solum noster, sed omnis fere *Germaniæ Nobilitas* ad sidera illum extollens, Imperio dignum eum dicebat: & ad maiora eum hortabatur; summam, si modo pergeret eam adserere, pollicita fortunam. Quali in bello, quod deinceps in *Mediomatricis* etiam gessit, vsus est: quæ tanta quidem fuit, vt non modo eos, quos bello persecutus erat, non male adfectos sibi non reddiderit, verum, excepto Landgravio, sibi fauentes postmodum applaudentesque habuerit. eo fastigii peruenit denique, vt ille optime rebus suis consultum crederet, cuius caussa Sickingius volebat. Ipsi Germaniæ Principes beneficiis sibi illum demereri studebant, stipendia dabant, nihilque non faciebant, quo illum quisque in sua pertraheret vota. Quid multa? Fortuna sic ei fauit, vt fuerint, qui dubitaverunt,

verunt, an Germania vſque ad illud tempus de Nobilitate quempiam habuerit, qui cum *Franciſco* aut opibus, aut honoribus, aut etiam fauore comparari, nedum præferri ei potuiſſet, ſi fortuna vti nouiſſet (ſſ). Vel ſic tamen *ſummum Heroem* ſe præſtitiſſe Franciſcum, Hutteni noſtri iudiciis, & in hac & in priore Commentarii huius Parte a me prolatis, non obſcure declaratum iam eſſe, exiſtimo (ſſ): quibus ſimul liquet, quanto amore *Lutherum*, huiusque *doctrinam* is ſit complexus. Enimuero vt primum hæc publicata erat, ipſe eam cum ſacris litteris contulit, & tandem approbauit (ſt): optimo Viro perfugium & præſidium ſalutis pollicitus, eum, quum *Wormatiam* peteret, per *Bucerum* quam

(ſſ) vid. modo citatus *Leodius*, ex quo iſta ſunt excerpta.

(ſſ) *Eob. Heſſus* eum in *Elegia ad Huttenum, vt Lutheri cauſſam adſerat*, ſic laudauit:

Ipſe etiam inuictis aderit Franciſcus *in armis,*
Per quem Sigginga *eſt nobilitata* domus.
Hic nulli veterum dextra victrice ſecundus,
Præcipue hunc titulum laudis habere ſolet.

(ſt) *Henr. Pantaleon Proſopographia Heroum atque illuſtr. viror.* Part. III, p. 93, vbi ſplendidiſſimi Equitis huius vita ſtrictim deſcripta legitur.

quam humanissime inuitauit: at Lutherus itineris sui excusauit necessitatem (t). Quæ quum ita sint, merito ipsius vir incomparabilis habebatur, magna virtute, zelo feruente, & spiritu æstuante præditus, Heros excellentissimus; *qui inter primos Euangelii Christi Professores veritatem Euangelicam non modo complexus sit* (tt), *sed etiam præter alios athletas ac religionis propugnatores contra hostes quoque suos*

(t) *Cyr. Spangenberg.* c. l. conf. *Hutteni* nostri *Epistola*, *Mogunt. II Non. Iun. an. 1520* scripta, quam supra pag. 63, seqq. integram dedi. addatur in primis illustris *Seckendorf.* Com. de *Luth.* Lib. I, §. CLI. vbi *consilia Sickingii* dilucide exponuntur, & de Reformationis negotio adiuuando, & de re familiari tuenda augendaque, ab ipso inita: de quibus prudenter ibi iudicatur: vnde multa transcribere nihil attinet.

(tt) conscientia conuictus ipse, in viam alios vt deduceret, quam maxime elaborauit: testatur id inter alia verbosa ipsius *Epistola*, Germanice ad *Theod. de Hendschuchsheim*, *Socerum* suum, anno 1522 scripta, qua animum huius in veritate Christianæ, eiusque purioris, religionis confirmatum iuit; fuse admodum de Epistola hac egit *Spangenberg* c. l. *Lutherus* ipsius Sickingii fidem corroboraturus, & suum in eum amorem simul declaraturus, priore anno *Libellum de Confessione*, patrio itidem sermone confectum, ei nuncupauerat.

suos pro aris & focis sanguine suo dimicauerit: qui multos viros pietate, virtute & doctrina praestantes, in primis insignes quosdam Theologos, fouere ac alere veritus non sit; vtpote qui ad ipsum, tamquam ad *sacram anchoram* & *tristissimae Pontificiae persecutionis tutissimum asylum* confugerant; & erga quos ipse incredibili amore, beneuolentia adiuuandique promptitudine mirifice flagrasse praedicatur (u). Inter *primarios* ipsius *domesticos*, vt hactenus cognouimus, quos in arcibus suis *Landstein* & *Ebernburg* hospitio exceperat, *Huttenus* noster fuit. praeter hunc fouit ibi *Casparum Aquilam*, *Patricium Augustanum* (v), *Martinum Bucerum* (x), *Ioannem Schwebelium*

(u) ab *Henrico Schwebelio*, in dedicatione, qua *Centuriam Epistolarum Theologicarum* ad *Io. Schwebelium*, auum suum, scriptarum *Reynhardo a Sickingen, Francisci nepoti*, inscripsit; & in ipsius aui huius sui, quam praemisit Centuriae Epistolarum, Vita. Prodiit Centuria haec *Bipont.* an. 1597, 8.

(v) huius vitam meditatur in praesenti celeberrimus *Schlegelius*; de cuius exquisita doctrina qnum dudum abunde inter eruditos constet, vitam istam auide hi exspectant.

(x) vid. *Melch. Adamus* in *Vitis Theologor.* p. 212. cui addatur *Commentatio historica de Martino Bucero*, sum-

lium, *Phorcensem*, ob religionem sponte-tum exsulantem (y), *Ioannem Oecolampadium* (z), alios. Quorum primus *Isenacum* deinceps, alter *Argentoratum*, tertius *Bipontum*, quartus *Basileam* concessit; hic omnium primus *Ebernburgi* Missam & reliqua sacra a corruptelis repurgauit (a). Namque probatissimos sibi hos viros quum in discrimen adducere nollet fortissimus Heros, sub periculosi ac fatalis illius belli initium benigne dimisit. ad quod animum intenderat, licet senectute iam aduentante, & podagra ita diuexaretur, vt equo insidere non posset, sed lectica veheretur (b). Gestum est bellum cum *Archiepiscopo Treuirensi*, *Richar-*

summo studio elegantissimeque conscripta a maxime reuerendo *Alb. Menone Verpoortenn*, *Coburgi an. 1709* in 8 ed. § I & II.

(y) vid. eæd. *Melch. Adami Vitæ Theologor.* p. 62. seqq. vbi vita *Schwebelii* a filio memoriæ litteris tradita maximam partem repetita legitur, ex commemorata modo Epistolarum Centuria; aucta quodammodo.

(z) *Melch. Adamus* ib. pag. 51.

(a) *Cyr. Spangenberg.* & *Henr. Pantaleon.* c. I.

(b) *Leodius* c. I.

chardo Greiffenklau (c): cui suppetias iuerunt *Ludouicus Elector Palatinus*, & *Philippus Landgrauius Hassiæ* (d). Belli exitus hic fuit, perniciosus plane ac fortissimo Equiti funestus. *Quum pro libertate sua fortiter pugnaret, accidit, vt globo tormentario a Principibus istis exploso, & in arcem immisso, sub tectum ad mœnia arcis* Landstein, *quibus nocte dieque animo infracto insistebat*, dis-

(c) Prodiit *Actio memorabilis Francisci ab Sickingen cum Treuirorum obsidione, tum exitus eiusd. Bartolomæo Latomo Arlunensi auctore* ap. *Schardium*, T. II Collect. *rerum Germ. Script.* p. 1019. edit. *Basil.* Poema Latinum heroicum est: quod quum *Iesuitis* ob aculeos in *Lutherum* & *Sickingium* magnopere arrisit; id Chronicis suis inseruerunt vid. ill. *Seckendorf. Lutheran.* Lib. I, § CL, (7). *Sickingii* ita mentio ibi fit:

--- Eberbergum - vbi strenuus armis,
Ingenio Siccingiades Franciscus auito,
Martia Bellonæ proles, ingentibus ausis.
(Felix Treuiricos si numquam intrasset in agros)
Sublimes patria sedes ditione tenebat.

(d) Publicatum tum est scriptum Germanicum: *VVie die drey Kriegs Fürsten, nemlich Trier, Pfaltz vnd Hessen, Frantzen von Sickingen überzogen, ihn vnd seine Anhänger eines theils gestraafft, auch etliche Schlœsser gewonnen vnd erobert haben*, vid. ill. *Seckendorf.* c. l.

disrumperetur: cuius ruina corpori illius vulnus letale inflixit, quo horis post viginti quatuor, mense Maio, anno CIↃ IↃXXIII pie ac placide vitam hanc cum futura commutauit. quum paullo ante, quam exspiraret, ipsi illustrissimi Electores & Principes, abiecto animo hostili, languentem & iam animam fere agentem clementissime inuiserent, & humanissime satis ipsum adlocuti essent (e). Exstat scriptum, illo ipso

(e) verba sunt *Henr. Schwebelii* in vita patris sui *Io. Schwebelii.* qui in praefatione *Centuriae Epistolar.* praemissa eamdem rem ita enarrauit: *Praeclarum testimonium Heroicarum virtutum, quibus praeditus fuit praestantissimus ille Vir, retulit ab ipsismet hostibus suis. Nam quum in obsidione Arcis* Landsteyn, *letaliter percussus fuisset, glande bombardica, ex quo etiam vulnere viginti quatuor postea horis pie & Christiane obiit, non solum adlocuti sunt eum decumbentem & quidem perhumaniter & benigne praefati Electores & Principes; verum etiam mortuum postea honorifice terrae mandari curarunt in ecclesia Parochiali oppidi sui* Landstul, *comitantibus eum & funus deducentibus permultis Comitibus, Baronibus, Equestris ordinis & aliis Nobilibus strenuisque viris. --- Filii Francisci pulsi omnibusque bonis paternis, iisque amplissimis, exuti beneficio Dei tandem & restituti & longe maioribus facultatibus aucti sunt.* Inter filios fuit *Franciscus Conradus*, Imperatoribus carus deinceps, & negotiis Imperii adhibitus: nepos *Rein-*

ipſo tempore editum, ſic notatum: *Ain vermanung* Juncker Frantzen von Sickingen *zu ſeinem hær, als er wolt ziehen vvider den biſchoff vonn Tryer aus byllicher ſach vnd raitzung. Welch vermannung in der hailgen ſchrift gegründet iſt ; iſt etwas anderſt gehandelt vnd boſshaitt volbracht in dem Kryeg : da iſt* Juncker Frantz *vnſchuldig an. Bruder* Hainrich von Kettenbach (f) *1523.* Adlocutionis ad exercitum thema erat *Iud. VII, Dedit Dominus victoriam populo ſuo.* quam in Libello excipiunt hæ *Franciſci litteræ ad exercitum,* qui contra ipſum congreſſurus erat, miſſæ: *Mein lieben brüder vnd nachpauren, vvarumb kompt jr vvider mich zu fechten vnd ſtreiten? Nun bin ich doch mit euch daran. ich beger euch zu erlœſen von dem* ſchweren entchriſtlichen joch, *vnd* geſetz der pfaffhait, *vnd zu Euangeliſchen*

P 4 liech-

Reinhardus litteris primus ex familia operam dedit, & Cameræ Spirenſis adſeſſor fuit: qui ipſe eſt, cui *Schwebelius* ſæpius commemoratam *Centuriam Epiſtolar.* dedicauit. ex qua dedicatione hæc ſunt deſumpta. add. ill. *Seckendorf.* citato aliquoties loco.

(f) fuit *concionator Vlmenſis*, monachus *Franciſcanus*, qui vna cum *Ioanne Eberlin* magno animo aduerſus abuſus ibi concionatus eſt. vid. ill. *Seckendorf. Lutheran.* Lib. I, § CXXXIX, Add. (d).

liechten gesetzen vnd christlicher freihait zu bringen, so wælt jr das nit leiden, thut als der den fallenden syechtag hat, vvill nit, das man jm helff, das er nit verderbe, dencket, das jr wider Christum vnd sein euangelium streytet, vnd nit vvider mich. Vmb des euangeliums *willen, vvill ich den tod nit flyehen, Gots vvill gesche he. Amen.* Ad *Nobilitatem* a Principibus contra ipsum in arma accensam ita scripsit. *O festen, edeln, lieben mitbrüder, wolt Got jr het euch bas bedacht, vvarumb zyehend jr vvider euch, eur kynder vnd kynds kinder? Warumb zerreyssent jr eur freyhayt vnd vvællen* knecht *vnd* gefangen der beschornen *sein? dencket ihr nit, vvann Frantz überwunden vvirt mit seinem anhang, vvie man darnach euch vvirt ain zaume vnd pysse inn das maul legen vnd euch fieren, vvo N. hinn vvællen? yr vvællet den helffen, die den teütschen Adel verderbt haben nit lugen, ewer vetterlich güter an sich gezogen, als sind die* beschoren knaben, *die* stifft *vnd* clœster. *Jr vnd die evvern mangeln, sy leben im sauß, verthon das evver mit huren, hoffart, vollerey, büberey: vvolt ir eüer leben für die setzen? ja sy vvællen vnser* selen *auch* verderben, *so sy vns das* euangelium Christi *vnd* wort Gots *nit*

lassen

lassen predigen, auch selber nit predigen, vnd erdrencken vnser selen mit jren aygen dræmen, fündly, gesetzen vnd leren gleissenden worten. vvolt Got das jr der sach noch nachgedechte, so vverden jr Francisco N. beistann. Gots vvill geschech. Amen. Al syg von Got. Subiicitur denique prudens, sincerum ac pium admodum *de* omnibus bonis acerbo maxime *Francisci*, excelsi animi Equitis, *interitu iudicium. Das aber Franciscus so erbermlich erschossen vvorden zu* Nanstal (ff) *ist vns nit befolhen das freuelich zu vrteilen vnd jm zum üblesten auslegen. Matth. VII. Rom. II.* Gotes gericht send verborgen, der allein ein erforscher ist der hertzen vnd nyeren. *Psalm. VII. Hiere. XVII. All sein anfang ist da versenckt gevvesen in dem vvillen Gotes, das er auch allen seinen reütern hatt den reimen auff jr ermel lassen machen, nemlich:* O Herr dein wil werd: *das sy alsammet den spruch in das hertz solten fassen, nichts*

P 5 *han-*

(ff) sic etiam castellum istud *Landstein*, iuxta oppidum *Landstuhl* situm, pronuntiari consueuit. vid. ill. *Seckendorf*, c. l. *Naustal* etiam pronuntiari id, reperi: quam arcem, quæ in *Vascouiæ* montibus sita, munitione *Ebernburgo* neutiquam dispar erat, partim pecunia, partim minis, in Sickingii potestatem venisse, *Leodius* c. l. confirmat.

handeln, den es vverd der vvill Gotes. auch den namen Tetragrammaton, *das on des Herren hilff nichts sey. Jst nun etvvas vnbillichs geschehen, mit schetzen oder prennen, so ist es on sein fürnemen ergangen. Wer vvaist vvarumb in da der Gaist Gottes verlassen hat? must nit* Nabuchodonosor *vnd* Assur *auch ain ruten sein Gotes über* Hierusalem, *Hier. XXXIX. Esa. X? Das es aber Francisco nit ergangen ist, vvie er es für sich hat genommen, achte ich es sey ain hohe straff Gotes über die Gotlosen, das sy gar verblendt vverden, vvie Esa. VI. Ezech. XII. vnd yetz in jrem übelthunden sig, sich erheben vnd berümen, als seien sy gantz vvol an Gott: ja gleich vvie* Capharnaum, *die Got bis in die hell hinab, Matth. X. vnd* Iechenias: *von vvelchem Got saget*: wen er ain ring wer an einem finger der gerechten hand, so wolt ich in herabreissen, vnd in den feinden fürvverffen. *Hierem. XXII. Darumb mügent sy sollich feynd des euangeliums vvol fürsehen. es ist noch nit zeyt gevvesenn. Got kan noch vvol ain andern* Sampson *ervvelen. Aber ich sich wol, das die schrifft muß erfület vverden, da Daniel von schreibt am VIII. XI. er (vernim der* antichrist *vnd sein anhang)* vvirt on schvvert

vnd

vnd handt getœdt. *Darum vnderstee sych kainer auszudilgen, mit vvaffen, es muß mit dem* schwert des gaist *geschehen* (g), *Eph. VI. vnd vvie Esa. XI sagt*, er wirt den gottlosen tœdten mit dem gaist seiner lepssen, vnd das erdrich schlagen mit der rutten (*das ist mit seinem hailigen euangelio Psal. II. in virga ferrea*) seines munds. *vvie II Thessal. III. Darumb predige mit* frid *vnd* senffte, *vver do atmen kan, das dis hailyg euangelium überall ausgebrait vverd, so vverden vvir on schlacht vnd rumor erlediget von dem* greülichen Pharaon. *das helff vns Gott! Amen.* Quum ad Lutherum de exstincto Francisco fama peruenisset; vt hæc falsa reperiretur, exoptauit: at quum ea magis magisque percrebresceret, ac vera

(g) eadem sententia ipse *Lutherus* fuit, qui an. 1521 ad *Georg. Spalatinum* scripsit, T. I, Ep. p. 332, b. *Quid Huttenus petat, vides. Nollem vi & cæde pro Euangelio certari: ita scripsi ad hominem.* Verbo *victus est mundus*, verbo *seruata est ecclesia: etiam* verbo *reparabitur: sed & Antichristus, vt sine manu cœpit, ita sine manu conteretur per* verbum. Insequenti anno, non ita multo ante *Sickingii* obitum ad *Nic. Gerbelium* T. II, Ep. p. 51, b. scripsit. *Video, Sathanam id moliri, vt non modo Euangelium exstinguatur, sed & tota Germania sanguine proprio inundet.*

vera demum reperta esset, exclamauit is: *Deus iustus, sed mirabilis iudex* (h)! Fusius paullo summi & de tot piis hominibus optime meriti, ornatissimique Equitis mortem persequendam putaui, quoniam Huttenus noster ei & in publica re socius, & in priuatis rebus omnibus conscius, & omnium sermonum & consiliorum aliquamdiu particeps extitit: cui ille tantum debuit, vt nemini plus: siquidem perfugium & præsidium salutis *Ebernburgi* inuenisse Huttenum, plane hactenus cognouimus.

Quo vero certiorem Patronum, quo acriorem defensorem illustrissimum *Sickingium* præstitisse se erga Huttenum vidimus, eo grauius hunc calamitosum illius ac funestum casum tulisse, per se quilibet hodieque coniiciet. Sed tamen ne tum quidem malis cessisse hunc nostrum, verum audentiorem contra ire perseuerasse, locupletissimum, hanc, quam *ad Eob. Hessum*, *Erfordiæ* tum commorantem, misit *Epistolam*, habemus te-stem

(h) Epistolarum *Mart. Lutheri Supplement.* cum summe reuerendi *Buddei* præfatione edit. ep. XLIII, XLIV.

ftem (i). *Vlrichus ab Hutten Eq. Eobano Heſſo, Poetæ, S. Eſt tandem modus, Eobane, aut finis eſt improbæ fortunæ, acerbiſſime nos perſequenti? Illi quidem eſſe non puto; ſed nobis tantum animi eſt, quantum ad illius ferendum inſultus ſatis credi poſſit. hoc vnum nobis ſolatium, hoc præſidium reliquit, qui cetera illius iniuriæ permiſit. Abſtulit in* Eluetios *fuga me, inde longinquius exſilium proſpicio. Neque enim feret me Germania hoc ipſius ſtatu: quem tamen ſpero pulcre paullo poſt immutatum iri, exactis tyrannis. Recepi ad* litterarum otium *me, a bellico tumultu, & ad ſcribendum penitus contuli. In hoc vno bene de nobis merita fortuna videri poteſt, quæ a magnis & odioſis turbis ad* placidam ſtudiorum quietem *redigat. Qui has perfert, habet a me* Libelli *quiddam* in tyrannos, *quod curet typis imprimendum. Ibi quæſo tuam mi-*

(i) deſumptam ex lib. XII *Eob. Heſſi Epiſtolar. famil.* p. 290. quæ *Marburgi* anno 1543 in fol. prodierunt. Repetiit *Eobanus* ab *Iuſto Iona* inter alia *commiſſa ipſi ſcripta*, neſcio quam *Hutteni Epiſtolam*, his verbis, Lib. III ſiluarum p. m. 436:

> *Præterea* Hutteni *quo nam ſit* Epiſtola *fato*
> *Perdita, vel quanam nocte ſepulta iacet?*
> *Ne toties pergas certa ſpe fallere amicum:*
> *Innocui vates & ſine fraude ſumus.*

mihi atque illi accommoda operam. poteſt ſilentio tranſigi negotium & occulte. neque vſquam rectius, quam in veſtra vrbe, vbi nemo actum ſuſpicabitur, præſertim ſic longe quum abſim ego. Oro te etiam atque etiam, ne quid ceſſes in re valde nobis neceſſaria. Exſtet, & in luce ſit, noua & inaudita improbitatis proteſtatio. Videant & cognoſcant futura poſt nos ſæcula, quales fuerint, qui honeſtati, legibus, iuri, fidei ac religioni, ſcelere & audacia ſe oppoſuerint. *Sed iam ſatis credo perſuaſum tibi, vt amico gratificeris. Mire cupio ſcire,* Crotus *vbi ſit, & quomodo agat. Nam mihi in patriam dare litteras diu iam non licuit, omnia obſidentibus tyrannis; & magno meo cum incommodo interceptis nuper epiſtolis. Bene ſit homini, vbivbi eſt! ſperare non deſino, fore, vt hanc* Deus bonorum virorum diſperſionem colligat; *nec vos deſinite!* habet *enim* vindices in omnia intentos oculos. Eraſmus *fœde diſceſſit ab Euangelii negotio: ſed iam pœnitet hominem in peius commutati inſtituti.* Expoſtulaui cum illo, *ita res cogebat,* publicam cauſſam, *edito* Libello, *quem vides. Vos quoque iſtic date operam, vt ne defuiſſe publico videamini. Saluta ex me* Aperbachum, *& quicquid no-*

ſtrorum

ſtrorum eſt; ac litteris me, quantum potes, ſtatim adloquere. Quum ſcribes vero, aut huc mitte ad Zuinglium, *aut* Baſileam *ad* Oecolampadium. *ac ipſe vale.* Tiguri *in* Heluetiis. *XII Calen. Aug. M. D. XXIII.*

Plurima ſane, quæ ad *vltimum Hutteni noſtri actum* pertinent, Epiſtola hac edocemur. *Belli ſocium* ſuperiore anno fuiſſe eum, *Sickingii* ſine dubio *caſtra* aliquamdiu *ſecutum*, non obſcure indicat, ſcribens: *recepi ad litterarum otium me a bellico tumultu, & ad ſcribendum penitus contuli.* Licet vero talia ex Epiſtola iſta non intelligeremus: quis, quæſo, temere de noſtri virtute ſuſpicaturus ſit, huncilli, cuius plurimis beneficiis vel defenſus adhuc triſtibus temporibus, vel ornatus antea fuerat ſecundis, in *expeditione* præſto eſſe fugitaſſe, in quam *collectum ſexcentorum equitum, inter quos exercitatiſſimi fortiſſimique ex Nobilitate non vnius prouinciæ viri erant, & octo millium peditum exercitum* (k) eduxerat? Sed tamen honorifice

(k) vid. ill. *Seckendorf. Lutheran.* I, § CL, (5). § CXXXII Add. II (d) notauerat, *Sickingium quinquies mille equitibus & decem peditum millibus aduerſus Treuirenſem mouiſſe.*

ce eum ab summo hoc Patrono ac Duce suo dimissum prius esse, quam salus huius in extremum adducta fuerit discrimen, aliunde constat (l). *Incunte* certe *anno XXIII Basileæ* nostrum versatum esse, liquido potest probari. Verum per *Sacerdotes* ac *Theologos* illi commorari ibi non licuit: vtpote qui tantum machi-

(l) ex *Oth. Brunfelsii* ad *Erasmi Spongiam Responsione.* contra *Erasmum* nimirum, qui obtrectauerat Hutteno, *Sickingium, quia vitarit inuidiam, hunc ab se dimisisse*, probatum iuit *Brunfelsius, Sickingium neque ob inuidiam dimisisse ab se Huttenum suum, neque vmquam malo in hunc exstitisse animo:* superstites *Sickingii filios* rei testes appellans. qui in ead. *Responsione* g. 6, ostendit, Imperatorem *CC florenos annuos* nostro pependisse; qui, quum *sub Sickingii tribunitio* fuerit, *cum primis Germaniæ Equitibus* sit reputatus, *geminam* merentibus *stipem.* Et hoc *stipendium vltro resignauisse* Huttenus noster, commemoratur ibi, non alia caussa, quam *quod Carolus Cæsar Euangelio male voluisse visus sit. Aureos nummos* intelligi a Brunfelsio, ex *Lutheri* epistola quadam, ad *Melanchthonem, Domin. Exaudi an. 1521*, scripta, T. I, Ep. p. 325, colligo: qua idem, quod Brunfelsius de Hutteno adseuerauit, de *Hartm. Cronebergio, Sickingii genero*, cuius supra mentio a me iniecta est, confirmatur: & hunc scilicet Cæsari *stipendium* CC aureorum nummum *renunciasse, illi seruire nolentem, qui impios audiret.*

chinati erant, vt diutius Basileæ agere tutum ei non fuerit (ll). *Ridiculum* plane *in* quemdam vrbis huius *medicum* ediderat ibi *Libellum*; iocis eiusmodi *animum ab angore auocaturus*: totus præterea in eo esse videbatur, vt *stilum absolueret* (m). *Miltbusium* inde abiit: vbi *Se-*

PARS II.  *cre-*

(ll) Cognoscimus hoc ex *Oecolampadii* ad *Hedionem* epistola, Lib. IV, p. 968. *Senatus* quidem *vrbis*, data publica fide, hospitio lætus nostrum acceperat, *hospitale* quoque *munus* ei offerens: ipsi magistratus alius super alium reuerenter adierant: multi omnium ordinum quasi certatim irruentes inuiserant; ex inimicis etiam quidam in gratiam redierant. factum ita esse, ipse prædicat in *Expostulatione cum Erasmo* a, s. Discessus sui ex vrbe *Basilea* caussam ipse; quantum ego quidem scio, nusquam explicuit. tantum in eadem *Expostulatione* scripsit: *Contigit deinde abire me, celerius quam constitueram: quumque hic decreuissem reliquum hibernare, idque amicis istic, vt prope Basilea est, innotuisset, cœperunt alii per litteras, vt fit, colloqui, alii facto itinere etiam inuisere.*

(m) id quod ex *Erasmi Spongia* didici. qui *Medicus*, & qualis *Libellus* fuerit; vtrum typis exscriptus, an manu tantum scriptus euulgatus hic sit, compertum non habeo. quum miratus esset Erasmus, fieri potuisse, vt Hutteno in morbo, in tanta rerum angustia, tantum otium exstiterit, vt *libellis* eiusmodi *ludere* ei licuerit: *Eppendorfius binas* istas *caussas* attulit.

cretarii fauore in *Augustinensium monasterio* latitasse eum aliquamdiu; hinc vero etiam ciuium minis pulsum, media nocte *Tigurum* aufugisse, Erasmus refert (n): vbi Epistolam istam ad *Eob. Hessum* scripsit; *longinquius* vel hinc *prospiciens exsilium*: quamuis *integerrima Heluetiorum gens* erga *innocentum sanguinem* melius multo animata a plerisque existimaretur tum, quam vt eo adduci potuisset, vt hunc *perfidissimis Papistis* tradendum decreuisset. quæ ægre idcirco tulerat, quod Erasmus *magnæ humanitatis* fuisse iudicauerat, quod Huttenum *admiserint* Heluetii, sed maioris, quod *dimiserint* (o). In longinquius

(n) in *secretissima* ista ad *M. Conr. Goclenium epistola*, quæ cum aliis monimentis, quibus *Erasmi vita* illustratur, *Londinensi Epistolarum* huius *editioni* est præfixa.

(o) quamuis in epistola ad *Vlr. Zwinglium*, *Spongiæ* præmissa, *Heluetiorum humanitatem* Hutteno *inuidisse* se negarit *Erasmus*; qui concesserint latebras, quo tutus interim esset ab his, qui venarentur illum ad supplicium. Optime omnino de Heluetiis sperare potuisse Huttenum, *Oth. Brunfelsius* confirmat. At *Io. Petrum Lotichium* P. III *Biblioth. Poet.* p. 21, opinio multum fefellit, qui persuasum sibi habuit, *Huttenum legationis munus ad Heluetios Imperatoris nomine suscepisse tum.*

quius ipsum ab his exsilium profectu-rum, in *Galliam* cogitasse, coniicere quis forsitan posset: cuius Rex, vt supra iam percepimus, paullo ante spoponderat ei CCCC coronas, vt Principem se agnosceret, nec quicquam muneris haberet, quam vt a consiliis staret, moraretur-que, vbicunque locorum vellet (p). Sed pro certo putare id nemo poterit: præsertim quum *Friderico Sax. Electori*, de semetipso, vt supra itidem cognouimus, confirmauerat is antea, numquam de Hutteno auditurum quempiam fore, *hunc externi alicuius Regis*, quantus quantus futurus esset ille, *imperata facere.* Nec vero tam facile esse mihi videtur, defini-re (q), qualem *Libellum in tyrannos*, typis

 Erfor-

(p) idem *Brunfelsius* talia nos docuerat.

(q) si omnino is prodiit, *ficto tectove nomine* quin prodierit, dubitandum non puto: complures quidem infra commemorabuntur a me lucubrationes, quas ista ratione emisit Huttenus, emisisse saltem a plerisque existimatur: an vero hic Libellus earum numero sit, liquido confirmare nonqueo. *Dialogus*, qui *Trias Romana* inscriptus est, innui hic ab Hutteno visus est clarissimo *Heumanno* in *Schediasm. de Libris anonymis & pseudonymis* p. 99. Verum *tribus* amplius *annis ante*, quam *Epi-*

Erfordiæ exscribendum, miserit ad *Eob. Hessum*. quandoquidem incertum est, vtrum hic voluntati auctoris, cuius mortem paullo post insecutam esse, intelligemus, obtemperauerit. Sensit tum Huttenus, quum fortuna in hoc vno bene de ipso merita ei visa est, quod a magnis & odiosis turbis ad *placidam studiorum quietem redegerit*, idem plane, quod *Cicero* & tot alii litterarum amantes probe senserant, *doctrinas vel optimis rebus & vsui & delectationi sibi exstitisse: adversis vero temporibus aliud nibil se habuisse, in quo adquiescerent.* Quod denique ad *Expostulationem Hutteni* nostri *cum Erasmo Roterodamo*, cuius mentionem etiam in Epistola illa fecit, & quam huic adiecerat, attinet: pluribus de ea agendum, ar-

Epistola ista ad *Hessum* missa est, prodiisse Dialogum hunc, supra intelleximus: idque non *Erfordiæ*, sed *Moguntiæ*, quum locum celatum voluisse videatur auctor, omissum omnino eum esse, opinor, si prodiit Libellus. quod si coniecturæ locus est, innui censeo, *Orationem ad Carolum maximum, Augustum, & Germaniæ Principes, pro* Vlricho Hutteno, *Equite Germano, &* Martino Luthero, *Patriæ, & Christianæ Libertatis adsertoribus, auctore S. Abydeno, Corallo, Germ.* de qua infra pluribus a me agendum erit verbis.

arbitror: qui priore Commentarii huius Parte fidem me dare memini, me hac ipsa Parte *Erasmum* atque *Huttenum* grauissimos testes producturum fore, nihil tam fragile, tam flexibile esse, quam *hominum voluntatem, sensum* atque *iudicium:* bellas ad tempus in amicis simulationes saepius esse, magnas in periculis fugas intimorum, magnas timiditates. Id quod summi hi viri, aperte nimis, quod dolendum, exemplo declararunt suo: ita tamen, vt *Erasmus* fidelis sanctaeque amicitiae officium prius deseruisse omnino videatur, quam Huttenus. *Erasmi* saltem dicto (r): *Et illud est incommodi, quod, vt sunt res mortalium, ex amicissimis nonnumquam redduntur inimicissimi, & contra; vt & illos laudatos, & hos doleas attactos*, fides affatim tum facta est.

Quantopere huius *ingenio* ac *venae* delectatus sit antea *Erasmus*, quam praeclara *virtuti* ac *eruditioni* eius imperdiuerit testimonia, satis superque priore Parte ostendisse ego mihi videor. *Lutheranam tempestatem festiuum Hutteni ingenium & sibi & Musis eripuisse*, caussatum quidem

(r) ep. DVII, p. 554.

esse Erasmum, tum præmonui. qui vllum vmquam sibi cum eo *fœdus*, nisi *Musarum legibus, aduersus linguarum ac bonarum litterarum hostes, ictum*, exstitisse, pernegauit. At plures Huttenus fontes, ex quibus inimicitiæ ac simultates istæ in se redundarint, aperit in inuectiua ista; quæ ita inscripta prodiit: *Vlrichi ab Hutten cum Erasmo Roterodamo, Presbytero, Theologo, Expostulatio* (ſ). Quid impulerit ipsum

(ſ) *Milthusii*, vbi Huttenum prius commoratum esse, supra ostendi, quam *Tigurum* demigrauerit, confecta ea est, idque, *Brunfelsio* teste, *vno & altero mense ad summum*, *& ex calamo*, *ac citra multam adfectionem vel corrasos centones familiarium epistolarum*, vti *Erasmus* nugatus fuerat. huic non typis, sed manu scripta tradita primum est Expostulatio. a quo vero typis sit exscripta, Huttenus haud comperit; vt idem *Brunfelsius* testatus est; qui litteras ab ipso Hutteno ad *Io. Scottum* paullo ante obitum scriptas legit: quorum hæc verba fuisse, adfirmat: *Qui Expostulationem meam excudit, bonam dedit operam, vt vides. Dii gratiam habeant, quisquis est. Audio curare quosdam, vt traducatur Teutonice. quod si ita est, rogo, vt fide optima excudas.* Traducta ea prodiit eodem 1523 anno, & in eadem etiam forma, qua Latina editio excusa est, sic inscripta: *Her Vlrichs von Hutten mit Erasmo von Roterdam Priester vnd Theolo-*

go

ipſum, vt inſtituerit hanc foraſque dederit, non obſcure hoc eius initio exponit: *Recte tandem intelligere cœpiſti, Eraſme, & me ferre dolentisſime, & communes noſtros amicos ſic ſentire, factum abs te iniquisſime, quod quum eſſem* Baſileæ *ſuperioribus diebus, a colloquio repuliſti. ob idque excuſare puto id factum volens, primum apud quosdam varie id egiſti, nunc in Epiſtola ad* Laurinum

go Handlung, allermeiſt die Lutheriſche ſach betreffend. Io. Scottum, cuius mentio modo facta eſt, *typographum Argentinenſem*, omnium primum extitiſſe, qui Latinam iſtam Expoſtulationem, poſtquam procul etiam ad Germanos miſſa fuerit, quod typographus, qui eam imprimeret, inuentus non ſit, typis exſcripſerit, ab *Eppendorſio* adductus, Eraſmus in *ſecretiſſima* ad *C. Goclenium epiſtola*, tradit. qui ad *Senatum Argentinenſem* binas eo nomine miſit litteras; Scottum accuſans, quod Hutteni libellum ſemel iterumque excudere ſit auſus, *odioſis* primum additis *picturis*, *inuectiua* deinde cuiusdam adiecta. vid. ep. DCLXXIV, & DCLXXXVII, *ed. Lugd. Bat.* De inuectiua, quam adiectam tum eſſe, conqueſtus eſt Eraſmus, infra agetur. Ad odioſas picturas quod attinet, neſcio, an illas intelligat, quæ editioni, quam ego habeo, ſunt præfixæ: & *Eraſmi* & *Hutteni minuſcula* in titulo comparet *effigies*, *M. Lutheri* ac *Ph. Melanchthonis vmbra*, eaque obſcura, in vno eodemque orbe ſuperiecta.

rinum *quemdam, quam Basilea mittunt ad me necessarii mei typis quoque excusam, miro quodam figmento veteris* (sſ). *Sic enim scribis:* Fuit hic Huttenus paucorum dierum hospes. interim nec ille me adiit, nec ego illum. & tamen si me conuenisset, non repulissem hominem a colloquio, veterem amicum &c. (ſt). *Et post ea:* sed quoniam nec ille ob aduersam valetudinem poterat ab hypocaustis abesse, nec ego ferre, factum est, vt neuter alterum viderit. *Quid hoc quaeso commenti est? Quae fabula? Hoc fuit in caussa, quo minus coiremus? Nec tu deprecatus es a me statim vrbem ingresso, ne te inuiserem, quod hoc fieri non posset citra inuidiam, qua me non deceret grauare amicum?* Vt primum Erasmus ex *Henrico Eppendorfio, Equite*, audiverat, Huttenum mordacioris scripti aliquid in ipsum meditari, litteras ad hunc misit (t); partim blanditiis, partim

(sſ) verbosa admodum epistola est, libelli instar: in editione *Lugd.* est DCL.

(ſt) verba ista in ipsa epistola sequuntur p. 760, A, haec: *& cuius ingenium mire felix ac festiuum, etiam nunc non possum non amare. Nam si quid illi praeterea negotii est, nihil ad me pertinet.*

(t) integrae eae leguntur p. 790. *Ep. Erasmi* edit.

tim minis ab instituto deterrere eum studens. blande satis præter alia scripsit: *Quomodo repubescent illa portenta, si senserint Huttenum, illam sic adamatam Erasmo ingenii venam, illum toties prædicatum Erasmo stilum, in Erasmum stringere? Quare fuerit hoc tuæ prudentiæ, priusquam tollantur signa, priusquam rauco crepent cornua cantu, priusquam tuba terribilem bello sonitum taratantara dicat, velut missis patre patrato ac feciale, secretis litteris ad me libere & amice perscribere, quid de me tibi delatum sit, aut quid omnino sit, quod exulceret animum tuum.* Minas ex aduerso non ita obscure hæc præ se ferunt verba: *Nec fortasse defuturi sunt, qui perpendentes quo in statu res tuæ sunt in præsentia, suspicentur istis artibus prædam vndecunque peti: & periculum est, ne apud multos hæreat coniectura, nimirum in profugum, obæratum, & ad extremam rerum omnium inopiam redactum. Non es ignarus; quæ fabulæ vulgo de te ferantur, neque nescis, quamobrem tibi succenseat, quidque tibi minitetur Comes Palatinus, qui de famulo tuo sumpsit capitis supplicium*

 cium

Lugd. Bat. n. DCLXXII. scriptæ sunt *Basileæ d.* 25 *Martii an.* 1523. non autem, vt excusum est, 1524. hocce anno Huttenus mortuus iam erat.

cium. --- vt odiosissime scribas, primum nec horum malorum insolentem impetes, nec omnino mutum. At tantum abest, vt Huttenus minacibus eiusmodi litteris a consilio suo reuocari se passus sit, vt ipsam istam *Expostulationem* suam, acerbam satis ad Erasmum miserit, eamque manu scriptam: postquam *atrocissimam* antea, vt Erasmus eam appellat, ad hunc dederat *epistolam*, aliquot *criminum capita* generatim ea proponens: ad quæ quum Erasmus per litteras respondisset: Huttenus, ipsam Expostulationem typographo missam iam esse, adfirmauit, ita, vt premi hæc amplius non posset (tt). Foras data *Luthero* & *Melanchthoni* vehementissime displicuisse, ferebatur (u). Alii ex aduerso recte ab Hutteno factum existimabant; qui *dissimulantem tam diu Erasmi impietatem* hac ratione *euocarit*: mirati, quod Lutherus ac Melanchthon vel

(tt) rem ita enarrat Erasmus in *Spongia*, a. s. qui in *secretissima* ad *Goclenium epistola*, aliquoties a me citata, refert, crebras, vel post traditam sibi Expostulationem, inter se ac Huttenum missas esse, litteras.

(u) vid. *Nic. Gerbelii* ad *Io. Schwebelium* epistola, quæ XX *Cent. Theol. Ep.* p. 56.

vel Erasmi veriti adeo sint eloquentiam, vel probæ caussæ sint diffisi (v). Hac certe confisus noster, acriter cum vetere amico expostulauit, dicendi huius facultatem parum veritus. *Ego*, scribit porro, *vel per valetudinem, vel aliter, ab hypocaustis vel tantillum abesse non potui, vt te semel aut iterum conuenirem, per dies plus quinquaginta, quos istic substiti; qui sæpe in medio foro, totas tres horas confabulantes amicos sustinui? Hoc est tua dignum grauitate, rei manifestæ falsum inducere colorem, & vana specie verum adumbrare? Atque haud scio, an ægrius hæc me habeat nunc vafrities tua, quam ipsum factum, quo me tractas inciuilissime. Odi enim natura fucum,* sinceritatis amicus, *neque vsquam magis offendor, quam vbi non vere, neque ex animo, agi mecum video. --- Scias igitur acerbissimum hoc mihi abs te contigisse. Quid ni? qui te & tua prædicatione & mea conscientia, aliter non, quam veluti religione quadam contactus, reuerentissime semper colui, hunc tu dignum non existimas, quicum sermonem socies? qui per omne hoc tempus, quo fuit inter nos amicitia, sic feruide illam colui, vt nemo adhuc inimicus tibi*

(v) idem *Gerbelius* miratus id est, ib.

tibi contigerit, contra quem non statim inimicitias ipse quoque susceperim (x): *eum tam leuiter amicum habes, vt ob tenuissimam a pessimis hominibus suspicionem abs te excludas, (totis tribus annis non visum)* (y)? *Quid dici potest inciuilius? Quid his indignum magis studiis*? Accurate inprimis ac sollicite plane inquirit Huttenus in hac sua Expostulatione, quid fuerit, cur *Erasmus*, qui

(x) tales etiam susceperat contra *Eduardum Leum*, *Anglum*, ad quem *Hutteni Epistola, Moguntiæ XIII Calen. Iun. an. 1520* scripta, exstat inter *Epistolas aliquot Eruditorum virorum, ex quibus perspicuum, quanta sit* Eduardi Lei *virulentia*, Basileæ *ex ædibus* Io. Frobenii *an. 1520*, 4. pag. 145 seqq. quæ *laudum*, quibus Huttenus *Erasmum* tum exornauit, plenissima est.

(y) cl. *Belius* recte ex *Erasmi* ad *Ph. Melanchthonem* epistola DCCIII colligit, Erasmum *non tam fugitasse Lutheranum domum suam recipere*, quam *hibernaturo apud se militi clausam hanc voluisse*. idque ex his præsertim epistolæ eius verbis colligit: *quod Hutteni colloquium deprecabar, non inuidiæ metus tantum in caussa fuit: erat aliud quiddam, quod tamen in Spongia non attigi. Ille egens & omnibus rebus destitutus, quærebat nidum aliquem, vbi moreretur. erat mihi gloriosus ille miles cum sua scabie in ædes recipiendus, simulque recipiendus ille chorus titulo Euangelicorum, sed titulo dumtaxat.* Quædam tamen frustra suspicatus esse videtur Erasmus.

qui *Ro. Pontificem* paullo ante in ordinem redigendum cum ipſo & reliquis ſociis decreuerit, *Romam ſcelerum* ac *improbitatis ſentinam* vindice calamo increparit, *bullas* ac *indulgentias* deteſtatus ſit, *cærimonias* damnarit, *curtiſanicam* exegerit, *ius canonicum* & *Pontificum ſcita* exſecratus ſit: in ſumma, qui *vniuerſam illius ſtatus hypocriſim ſeuerisſime profligarit*: is tunc retro actus, & contraria ſequens, cum hoſtili parte ſocietatem inierit. Inter *mali cauſſas*, quales complures adducit, refert *inexplebilem famæ ſitim, gloriæ auaritiam, inuidiam*, qua *in Lutherum* flagrarit Eraſmus: ſuſpicioni locum præterea dederat hic *munera ipſum accepiſſe*, aut *ad honorem reſpexiſſe*. Quæ quum de *inconſtanti* maxime Eraſmi *animo* teſtari probaſſet Huttenus: æque mobilem ſe *in cauſſa*, quæ bonarum litterarum vindicibus *cum Hochſtrato* interceſſerat, præſtitiſſe eum, oſtendit: qui grauiter paullo ante vna cum ſociis hominem inſectatus, mirifice tum eidem ſit blanditus. Talia quamuis aſpere expoſtularit noſter, ſingulari tamen moderatione animique vſus eſt grauitate. inſignem ſane modeſtiam verba

hæc

tibi contigerit, contra quem non statim inimicitias ipse quoque susceperim (x) *: eum tam leuiter amicum habes, vt ob tenuissimam a pessimis hominibus suspicionem abs te excludas, (totis tribus annis non visum)* (y) *? Quid dici potest inciuilius? Quid his indignum magis studiis?* Accurate inprimis ac sollicite plane inquirit Huttenus in hac sua Expostulatione, quid fuerit, cur *Erasmus*, qui

(x) tales etiam susceperat contra *Eduardum Leum*, *Anglum*, ad quem *Hutteni Epistola, Moguntiæ XIII Calen. Iun. an. 1520* scripta, exstat inter *Epistolas aliquot Eruditorum virorum, ex quibus perspicuum, quanta sit* Eduardi Lei *virulentia*, Basileæ *ex ædibus* Io. Frobenii *an. 1520*, 4. pag. 145 seqq. quæ *laudum*, quibus Huttenus *Erasmum* tum exornauit, plenissima est.

(y) cl. *Bælius* recte ex *Erasmi* ad *Ph. Melanchthonem* epistola DCCIII colligit, Erasmum *non tam fugitasse Lutheranum domum suam recipere*, quam *hibernaturo apud se militi clausam hanc voluisse.* idque ex his præsertim epistolæ eius verbis colligit: *quod Hutteni colloquium deprecabar, non inuidiæ metus tantum in caussa fuit: erat aliud quiddam, quod tamen in Spongia non attigi. Ille egens & omnibus rebus destitutus, quærebat nidum aliquem, vbi moreretur. erat mihi gloriosus ille miles cum sua scabie in ædes recipiendus, simulque recipiendus ille chorus titulo Euangelicorum, sed titulo dumtaxat.* Quædam tamen frustra suspicatus esse videtur Erasmus.

qui *Ro. Pontificem* paullo ante in ordinem redigendum cum ipso & reliquis sociis decreuerit, *Romam scelerum* ac *improbitatis sentinam* vindice calamo increparit, *bullas* ac *indulgentias* detestatus sit, *cærimonias* damnarit, *curtisanicam* exegerit, *ius canonicum* & *Pontificum scita* exsecratus sit: in summa, qui *vniuersam illius status hypocrisim seuerissime profligarit*: is tunc retro actus, & contraria sequens, cum hostili parte societatem inierit. Inter *mali caussas*, quales complures adducit, refert *inexplebilem famæ sitim, gloriæ auaritiam, inuidiam*, qua *in Lutherum* flagrarit Erasmus: suspicioni locum præterea dederat hic *munera ipsum accepisse*, aut *ad honorem respexisse*. Quæ quum de *inconstanti* maxime Erasmi *animo* testari probasset Huttenus: æque mobilem se *in caussa*, quæ bonarum litterarum vindicibus *cum Hochstrato* intercesserat, præstitisse eum, ostendit: qui grauiter paullo ante vna cum sociis hominem insectatus, mirifice tum eidem sit blanditus. Talia quamuis aspere expostularit noster, singulari tamen moderatione animique vsus est grauitate. insignem sane modestiam verba

hæc

hæc patefacere mihi videntur: *Qui nisi (quod multum apud me valet) is esses, cuius magno hic adminiculo erectæ sunt litteræ, & excitata bona studia, per quem & multi in Germania quotidie proficiunt, & ego me creuisse libenter fateor: inuentum haberem consilium, quo vicem in te meam vlciscerer. Nunc maioris apud me tuæ virtutes, tuaque merita, quam mea ab eodem iniuria, meus dolor, momenti sunt.* *Leuitatis* etiam non exiguæ insimulatus a nostro Erasmus in eo, quod *Reuchlinum* tam præclare promeritum, priore anno defunctum, non modo contemnere, sed crimen etiam falso in hunc conferre sustinuerit: cuius famam & existimationem vt viui acriter noster defendit contra complures inimicos, ita mortui quoque contra Erasmi calumniam diligenter tutari tum instituit. Hunc præterea in *Lovaniensibus & Coloniensibus*, item *Prædicatorum ordine*, modo exagitandis modo laudandis, in *Hieronymo Aleandro* modo vituperando modo laudibus extollendo, *bellum tergiuersatorem* sese præbuisse, confirmat. In *Ioanne Glapione* vero *Franciscano*, qui *Caroli Imp. a confessionibus* erat, tractando Erasmum *Vertumno simil-*

millimum exſtitiſſe, oſtendit: ſiquidem praeconiis exornare non dubitarit deinde, quem antea vituperarit, velut peſſimum magiſtrum, peſſimum conſultorem, qui ab omnis generis ſalutaribus monitis auerteret Cæſaris aures, omni contra peruerſitate imbueret, a quo ipſo corrumperetur optima adoleſcentis indoles, a quo hic in mala abduceretur ſtudia. *Optimum perfectumque animorum characteres exprimendi magiſtrum* fuiſſe Huttenum, ipſius huius *Glapionis*, quam poſteritati in Libello hoc tradidit, *imago* planiſſime declarat. absque quo homine ſi fuiſſet, is non dubitauit, quin multa melius in Germania ſeſe habuiſſent, quin Lutheri cauſſa æquiorem ſenſiſſet Cæſarem. Expreſſa vero ab Hutteno noſtro Glapionis imago hæc eſt (z): *Quod ſi me interroges, de* Glapione

(z) quin *expreſſa plane* ſit *imago*, non dubitabit, ſpero, qui ill. *Seckendorf.* Comment. de *Lutheran.* Lib. I, § LXXXIIX, Add. II, (e) ſeqq. conferet, cuius illuſtris viri de *Glapione* commemorationi his Hutteni verbis non parum lucis probationisque adfertur. Ita occultus quidem, ita tectus & *Eraſmo* videbatur Glapion, vt, quantum ipſe ho-

ne *quid sentiam, quandoquidem semel decreui libere verum profiteri: respondero, nequiorem me hominem cognouisse numquam, & qui copiosius esset operandis fraudibus instructus. Simulando certe & dissimulando vincebat omnes Hypocrita egregius, & cuius nihil non erat ad fallendum idoneum, aptum & compositum os, oculi, frons, caput, manus, sermo, incessus, omnia. Conformabat se omnibus, ac in omnia transformabat. Sciebat, quid quolibet loco, quolibet tempore & dicendum esset, & faciendum: nihil vere; omnia adhibito fuco, & insidiose. Eius hæc audita mihi &* Francisco, *adsidentibus nonnullis item aliis, vox est, quum* Ebernburgum *ad nos a Cæsare missus esset (qua vna fraude reliquas eius æstimet quis) se fateri hoc, neque dubitare, neminem eorum, qui implacabiliter* Luthero *inimici essent, negaturum, ab illo* primum patefactam Christianis omnibus ianuam, per quam ad veram reconditissimorum sacræ scripturæ sensuum cognitionem ingredi liceat. *Quumque ego intulissem, quod igitur tantum illius peccatum esse posset, quod cum tali bene me-*

hominis ingenium ex prudentum narratione, ac litteris, quas hic ad ipsum miserit, coniicere potuerit, Huttenus, si decem annis vixisset cum Glapione, nondum pernouisset illius ingenium.

merito collatum prægrauare debeat? Ego quidem *(respondit)* non video. *Et tamen nemo interim capitalius* Lutherum *oderat: in quem etiam quicquid acerbe tunc & atrociter consultum est, in huius ante officina elaboratum fuit. Neque alius obstinatius pugnauit, vt inauditus, indefensus, neque dicta caussa damnaretur: & obtinuit. Ita poterat ad tempus occultare se, rursumque, vbi opportunum ipsi videbatur, ostendere.* Quo magis *Luthero* adversari videretur *Erasmus*, hic laudasse porro demonstratur ab Hutteno illius inimicos reliquos, *Caracciolum, Eccium*, ipsius Erasmi antea iudicio, mortalium omnium vanissimum atque arrogantissimum, *Ioannem Fabrum*, quo tamen nemo magis bonas litteras exstinctas adhuc voluerit; alium *Fabrum, Canonicum & Vicarium Constantiensem*, Curtisanorum superbissimum, *Ludouicum Berum*, & *Io. Gebuilerum* duas exitiabiles *Basileæ* pestes, & plurimos alios. Etenim nihil constanter dixisse aut fecisse Erasmum, liquido probat Huttenus, ex omni leuissima caussa blandientem & adsentantem; idque non Principibus tantum, sed & infimo cuilibet, qui imbecillitati

ipſius metuendus viſus ſit. Copioſe de reliquo grauiterque pro *Lutheri cauſſa* contra Eraſmum ſimul diſputat noſter; firmiſſimis argumentis ſententiam huius refellens, qua *Romanam Eccleſiam a Catholica non diſſentire*, ſtatuit. quamquam pro certiſſimo habuit, iurauitque, Eraſmum non ignoraſſe, quantum a *Catholica* eccleſia & *Apoſtolica*, *Romana* hæc diſſentiat: turpiter omnino hunc, ſtatuere ſe ita, ſimulaſſe, confirmat. *Vbi illa vero*, inquit, *ſcriptura eſt, quæ hoc docet*, Romæ eſſe talem Eccleſiam, *quæ ſit aliarum* caput, *& illum habere debeat* Epiſcoporum tyrannum, *quem fas ſit vocare* ſanctiſſimum, *qui Euangelium, ſi velit, innouare poſſit, &, antiquatis iis, quæ Chriſtus tradidit, nouas dare leges, nouam præſcribere viuendi normam? a cuius placitis fas non ſit diſcedere? quem ferre, quantumcunque malus ſit, oporteat? qui terrarum Principibus oſculandos pedes recte porrigat, mundi regna ad ſuum diſpenſet arbitrium, cælos vendat, animarum ab ſe ſalutem mercari homines iubeat? Hanc tu mihi oſtende* ſcripturam, *inquam, ſed* diuinam, *aut* apoſtolicam, *& traduces me quoque a ſententia, cogesque tecum adeſſe dignitati illius Se-*

dis:

dis. --- *At illius Sedis auctoritatem tot saeculis secutus est orbis Christianus. Quod si* multis saeculis erratum sit ab omnibus, *vetes* in viam redire *nos, cognito errore, & a periculo* in tutum recipi? *Plane erratum est: tu cognouisti inter primos, ac ad veram viam, quantum in te fuit, reduxisti homines. multi secuti sunt, habentque gratiam. ipse nunc, quum videtur commodum,* ad errorem reuocas. *Mirantur omnes.* Quod ad ipsum *Lutherum* attinet; in quo omnes bonos *spiritum*, & *vix comparabile illud in intelligendis diuinarum scripturarum mysteriis acumen* suspexisse, adseuerat: hunc eum sane fuisse, ipsum Erasmum, si ex conscientia respondere voluisset (a), non potuis-

 se

(a) *Vndeuicesimo* iam *saeculi anno Erasmus* in Epistola ad *Albertum Archiep.* scripta *Luthero praeclaras quasdam Euangelicae doctrinae scintillas probatissimaeque vitae laudem tribuerat:* quae est ep. CCCCLXXVII, edit. *Lugd. Bat.* verum aegre maxime tulerat, eam typis exscriptam iamtum publicatamque esse, ep. DXXXVI ad eumd. *Albertum* scr. Suspicio erat, per *Huttenum* nostrum factum esse, vt epistola ista edita sit. ad hunc saltem litteris obsignatis miserat eam Erasmus, admonens, vt, si videretur expedire, redderet in tempore; sin minus, premeret, aut aboleret. conf. ill. *Seckendorf. Lutheran.* I, 5

se non concedere, iudicauit Huttenus; qui *non primus quidem, sed potentissime, Ro. Pontificum tyrannidi restiterit:* qui *Euangelium, vt ante se nemo, in locum restituerit:* qui *humanis sanctionibus fidem abrogarit:* qui *Pseudoepiscopis fucum detraxerit:* qui *Papisticas fraudes mundo aperuerit:* qui *Bullas ad nihilum redegerit:* qui *Gratias profligarit:* qui *Indulgentiis & id genus aliis imposturis Germaniam clauserit.* Rationem etiam reddidit noster Erasmo *cur Lutherani appellationem agnouerit:* dum interrogaturum hunc fore, præuidit, cur ille rei huic se immisceret, quem pro Lutherano numquam habuerit. Equidem ipsum *Lutheranum* se dicere, & ab aliis dici libenter audire se, negauit noster: quia tamen id iam tum valuerit, vt, qui *Ro. Pontificis tyrannidi aduersabantur*, quorum præcipue in numero semper haberi se voluisse, ingenue professus est; & qui *veritatem adserere audebant*, quique *ab humanis sanctionibus ad Euangelicam sese doctrinam recipiebant*, *Lutherani* vulgo cognominarentur,

I, § LXV (2). Omnem culpam transtulit Erasmus hac de re in solum Huttenum: grauissime propter in *Spongia* in eum inuectus.

tur, æquò animo appellationis iniuriam ferri ab ſe, adfirmauit: ne *rei profesſionem abnegare* videretur; qui ne *ſuſpicionem* quidem *mutati honeſtioris inſtituti* præbere de ſe voluerit. Poſtquam aliquot paginis, nec infirmis argumentis, animum Eraſmi in cogitationem, quantum malum *ex iſta inconſtantia* ipſius, *iſta ſententiæ commutatione*, *iſta* tanto viro indigna, prorſus *tergiuerſatione* naſceretur, inducere vehementer ſtuduit. hunc cum ipſo expoſtulandi fecit finem: *Obteſtandusne per fidem & amicitiam tu, vt ne partes deſeras? At* probatior *hæc eſt* cauſſa, *quam vt vllius, nedum eius, qui fidem & amicitiam magni non facit, & monitores ab ſe excludit,* precarium *ſibi* patrocinium *poſtulet. Aut inuocandum cœleſte numen, vt vim a nobis tuam propellat? At timere neſcimus aut ambigere* veritatis adſertores, *& ſancta illa niſi fiducia, nihil magnopere formidamus iſtas in te raras naturæ dotes, ingenii vim, eloquentiæ robur. Sunt & noſtra contra nobis opes. Quid faciendum igitur? Decertandum omnino, & cominus congrediendum: vt intelligant omnes, quam iniquam rem, quam* violata, *ac prorſus* conſtuprata conſcientia *ſis adgreſſus.*

Hæc profecto via est, hoc optimum consilium: quando nec pietatis ratio, nec nostra amanter tentata commonitio, locum apud te habent. Vale.

Quam grauiter offensus sit Erasmus Hutteni hac cum ipso *Expostulatione*, litteris, quas ad amicos misit, continuo declarauit. Ad *Bilib. Pirckheimerum* scripsit: *Emoriar, si crediturus eram, in vniuersis Germanis esse tantum inhumanitatis, impudentiæ, vanitatis, virulentiæ, quantum habet vnus libellus Hutteni* (b). Multis coniecturis adductum se esse, vt memoratum supra *Henricum Eppendorfium fabulæ auctorem* habuerit, fassus simul est *Pirckheimero*. An respondendum esset Hutteno, statutum

(b) ep. DCXXXI. quæ biduo ante scripta est, quam Huttenus istam suam ad *Eob. Hessum* dedit Epistolam. DCLXVIII epistola questus est Erasmus, *quod Huttenus criminoso valde libello in caput ipsius sit debacchatus*. ep. DCLXXIII scripsit: *Huttenus instigatus ab insanis aliquot strinxit in me mucronem calami sui; congerens, quicquid criminum poterat in quemquam confingi*. in epistola ad *Io. Fabrum* scripta, quæ *Erasmi Alberi Iudicio de Spongia Erasmi* addita est, *se non multum Hutteno irasci eo nomine, iis se irasci, qui miserum instigarint, non ob aliud, nisi ob prædam*, professus est; verum id post Hutteni fecit demum obitum.

tutum se habere, quum ista scripsit, negauit. at in alia epistola, quam ad *Conr. Goclenium* dedit (c) se mox responsionem parauisse, adfirmauit, sed adeo clam id se fecisse addit, vt nec *Frobenius*, nec *Beatus Rhenanus* id sciret: premere etiam propemodum Responsionem se decreuisse tum; quam vero instigantibus his demum emiserit: *Spongia Erasmi aduersus adspergines Hutteni* inscripta ea prodiit (d).

(c) in *secretissima* ista *Epistola*, supra citata.

(d) *mense*, vt coniicio, *Augusto*, saepius deinceps, & separatim, & cum *Brunfelsii responsione*, recusa. *iterum*, ni fallor, separatim prodiit *Basileae* per *Io. Frobenium an. M. D. XXIII, mense Septembri. Kal. Decembr.* eiusd. anni scripsit ad *Io. Fabrum: Spongiarum rursus tria millia sunt excusa; sic visum est Frobenio. Odi ego tales libellos. Tertio*, si recte coniicio, repertae editioni aliam *ad Lectorem* adiecit Erasmus *epistolam:* quamuis, secunda iam editioni hanc adiectam esse, dicat *Brunfelsius*, quam *mordacem* nuncupauit, *sycophanticam* atque *virulentam epistolam.* primae & secundae, mea sententia, editioni sola ad *Vlr. Zwinglium* epistola praefixa fuerat. *Tertio* Brunfelsii opinione, mea vero opinione *quartum Coloniae* prodiit Spongia. Vtrt est: singulae *repetitae editiones post mortem* demum *Hutteni prodierunt.* quod si vero omnium primae Spongiae editioni loco *Augusti mensis*, quo lucem

Cuius *gratiam* optimi *Hutteni morte magna ex parte periisse*, ipse auctor fassus est (e); idque prius factum est, quam exstiterunt, qui Erasmi obiurgationem ac conuicia refellere & coarguere adgressi sunt. Nam vix dum Spongiam hic suam diuulgauerat, quum Huttenus noster a Deo ex tot suis ærumnis atque ex iniquissima vitæ conditione eriperetur.

Exeunte mense Augusto indicati supra *anni CIↃ IↃXXIII*, tribus circiter mensibus a strenuissimi *Francisci de Sickingen*, qui, vti cognouimus, summum se præbuerat nostro patronum ac defensorem, morte interpositis, id accidit (f): postquam

lucem adspexisse hanc coniicio, *September mensis* adscriptus est, recte omnino computauit Brunfelsius :) qui etiam quin diuersas editiones cognitas habuerit, vix dubito. *Sex totos* de reliquo *dies*, *dum*, *quæ Huttenus calumniatus fuerit*, *legerit*, *dumque diluerit ipse*, *quod ille adsperserit*, *perdidisse se*, extrema Spongia gloriatus est Erasinus.

(e) Ep. DCLVIII, ad *Conr. Goclenium* scr.

(f) *Erasmus*, *d. XXIX. Aug.* mortuum esse Huttenum, modo citata epistola adfirmat. *P. Eberus XXXI mensis die* id euenisse, scripsit. *Ian. Iac. Boissardus in XXII anno* definiendo falsus est. *Cyr. Spangenberg* & in die & in anno errauit, qui *d. VIII Aug. an. 1524*, Huttenum diem obiisse, memoriæ prodidit, nisi error operarum est.

quam *extra Tigurum* vrbem apud ſacerdotem quemdam non ita multos dies verſatus, in *inſulam* denique *Tigurini lacus*, cui nomen *Vffnort*, demigrauerat (ff); *annum* agens *XXXVI.* Quam grauiter boni atque eruditi viri meliori fortuna longe digniſſimi Equitis huius obitum tulerint, & quales *de mortis genere* ſparſi ſint *rumores, Eobanum Heſſum*, qui noſtro & æqualis & amiciſſimus fuit, teſtem producam; qui *Io. Draconem* lamentabili admodum voce hac compellauit (g): *Sed o mi Draco! Sed heu mi Draco! Ah Draco mi! Quid eſt? rem peſſimam, rem incomparabilis iacturæ! Quid noui nuntias Heſſe? Quid tuum perturbas Draconem? Non periit* Eraſmus. *Deo gratia! ſed periit* ille. *Quis?* Ille noſter!

(ff) vid. Eraſmi *ſecretiſſima* ad *Goclenium epiſtola.* apud *Io. Schneckium*, *verbi diuini* in inſula iſta *miniſtrum*, ac felicem *paralyſeos curatorem*, deceſſiſſe Huttenum, ſcriptum relictum eſt. *Inſula* tanti Equitis morte celebrata, hodieque *Huttenica* appellari, traditur. vid. *Io. Petri Lotichii Bibliothecæ Poet.* P. III, p. 22. Aliquanto poſt *Nobilis Francus* curauit, vt a *Tigurinis Profeſſoribus* hocce *Epitaphium* celebratiſſimo populari ſuo poſitum ſit:

Hic Eques auratus iacet, oratorque diſertus:
Huttenus vates carmine & enſe potens.

(g) lib. I *Ep. famil.* p. 35.

ster! *Quis noster?* Ionas? *Non, absit hoc, non vellem viuere! & tamen* noster. *Iam non ludam diutius, iam te non suspendam amplius:* periit, periit noster Huttenus! *Vide nunc: an ita ficte gemam, vt quaedam ex ista farina vulpes?* Huttenus noster obiit potionatus (h). *Mitto Ducis nostri litteras, vt videas, me non posse istum iustissimum dolorem premere. Sic, mi Draco, sumus obiecti & expositi cottidianis periculis; dum ab vna parte multum nostro accedit ordini. ab altera sumus prorsus infelices. Quis fuit ille, tam (paene dicere ausim) iniquus Deus, qui hoc tam* floridum ingenium *nobis inuiderit? libet iterum ac saepius exclamare: Heu Deos crudeles! heu crudelia fata! sed opus est, video, vt ad* Elegos *confugiam. Non enim capere potest epistola breuis, quantum nunc doleam. Sed ah, mi* carissime Huttene, *sic nos reliquisti? an potius*

(h) Rumorem hunc de *Hutteno potionato* aeque in medio relinquo, ac alterum, cuius mentionem a *Gesnero* fieri in *Bibliotheca*, cl. *Baelius* memorat. in binis, quas ego euolui, Bibliothecae huius editionibus, iisque postremis, nulla plane de *mortis genere* fit mentio. *Ioach. Camerarius* in *Vita Ph. Melanchthonis* p. m. 93. de *nostri obitu* explorate scripsit: *Tandem non procul ab Vrbe* Tigurina *morbis confectus, quibus frequentibus & acribus laborauerat, mortem obiit, annos natus XXXVI.*

potius abiisti? Quo vero? ecquando redibis? heu! Eras totus amabilis. Nemo hominum improbissimorum hostis maior, nemo bonorum amantior. *Tempero mihi nunc aegerrime, ne totus effluam. Dabo tibi, o carissime, & non solum morum, sed etiam doctrinae maiestate venerande Draco*, certum & magnum testimonium, Huttenum me vehementer amauisse (i). *Vale. Erfordiae.*

Omnes

(i) Dedit omnino *Hessus* tale deinceps *testimonium*: qui iam antea egregiam *ad Huttenum* suum, *ut Lutheri caussam adsereret*, miserat *Elegiam*, quae inter *Elegias, pro Adsertione Lutherani dogmatis anno ferme XX scriptas ac editas, VI* est, *operum* eius *coniunctim editor.* pag. 862, seqq. verbosa ea est, hanc clausulam habens:

Viue decus gentis*que tuae*, fidei*que* labantis
Spes noua! *& haec, oro, consule scripta boni.*

Elegiaco carmine respondisse tum *Huttenum Eobano*, ex clarissimi *Ioach. Friderici Felleri Monumentor. ineditor. Trimestri XI*, pag. 474, didici. Ipsum vero *testimonium* Hutteni virtuti debitum impertivit *Eobanus Vlrichi Hutteni Equitis ac Poetae Epicedion* conficiendo: in quo *Mors* & *Huttenus* colloquuntur, pag. 298 seqq. *Op. coniunct. edit.* Integrum illud, ex *LIV distichis* constans *Melch. Adamus Hutteni Vita* ab se conscriptae inseruit. Quanti Eobanus Hutteni eruditionem fecerit, ex LXXV

ep.

Omnes fere Germaniæ, & exteri nonnulli, eruditi, celebrioresquè Poetæ, *Elegiis* (k), *dolore* saltem, fortissimi *Hutteni*, *doctrinæ eruditæ Principis*, *Manibus* iusta certatim tum *faciebant*. Illorum numero præter *Hessum*, & in notis memoratos, fuerant: *Petrus Lotichius Secundus*, *Georgius Sabinus*, *Georgius Fabricius*, *Io. Fabricius Montanus*, *Io. Stigelius*, *Io. Lauterbachius*, *Ioseph a Pinu*, *Io. Bocerus Danus*

ep. ad *Mutianum Rufum*, p. 101. huius *Epistol. Reliquiar.* quas *celeb. Tentzelius Gothanæ Historiæ supplem.* I, quod eiusd. *Conr. Mutiani Rufi Epistolas* complectitur, subiunxit, apparet: in qua Epistola scribit *Eobanus*: *Magnum est*, *Mutiane*, *& gloriosa res, Hutteno fieri parem*, *multo gloriosius excellere.*

(k) spissum in bibliotheca *Augusta VVolfenb.* volumen euolui, in fol. in quo varia Carmina ac minuta scripta sparsim separatimque edita collecta erant: inter hæc *plagula* erat, quæ *Varia Variorum Hutteno conscripta* continebat *Epitaphia*, *X numero*: quum prima plagulæ istius verba sint: *Eiusdem Hutteni Epitaphium candide & libere nec minus docte conscriptum*: plagulam primam deesse, coniicio: id quod doleo: quæ aderat, & quam inspexi, plagula, *Mutiani Rufi*, *Ioach. Vadiani*, *Ph. Melanchthonis*, *R. Pacei Britanni*, & *sex anonymorum*, comprehendebat *Carmina*, *Hutteni memoriæ consecrata.*

nus (l), alii. Quorum Carmina aperte declarant, quanti ipſum ſæculum, in quod Hutteni ætas incidit, hunc fecerit. *Elegiæ* etiam, quibus tot celeberrimi viri huius *mortem* ac *laudes* ſimul proſecuti ſunt, liquido demonſtrant, licet, *Eraſmus* ambitioſe ſatis perhibuerit (ll), *Hut-*

(l) ſingulorum horum, quibus *Hutteni laudes* celebrarunt, Carmina, *Aegidius Periander* in *Germania ſua*, quæ *Frf.* 1567 in 8, prodiit, p. 832 ſeqq. & *Nicol. Reuſnerus* in *Imaginib. viror. illuſtr. Argent.* an. 1587 ed. b. 6, ſeqq. tibi ſubminiſtrabunt, Lector.

(ll) in *Spongia* g. 2, b. & g. 8, a. qui etiam impoſuit *Conr. Goclenio* in *ſecretiſſima* iſta *epiſtola* ſua ſcribens: *Melanchthon mire odit Huttenum.* Melanchthonem ab *huius natura vehemente* & *excelſo animo*, ac *voluntate ad nouas res propenſa*, quam *conſuetudo* etiam *quorumdam immoderatiorum* incitauerat, nonnihil quidem timuiſſe, at *viuum magni feciſſe eum*, & *propter doctrinæ eruditionem ingeniique præſtantiam admiratum eſſe*, grauiſſimum teſtem habemus *Ioach. Camerarium* in *Vita Ph. Melanchth.* p. m. 92. vbi narrat Camerarius, *Melanchthonem anno XXIV* denique in itinere, quod, ipſo *Camerario* aliisque comitantibus eum, in patriam fecerat, certi aliquid de *morte Hutteni Fuldæ* apud *Crotum Rubianum* comperiſſe: nec vero etiam Melanchthonis, itineris ſociorum, & Rubiani huius dolore & deploratione *Hutteno iuſta* non

Huttenum viuum pæne ab solo se prædicatum esse, seque solum plus laudum in Huttenum contulisse, quam omnes illius amicos: mortui tamen *virtutis complures* exstitisse *præcones.* Qui idem *Erasmus* gloriose de se iactavit: *se illum esse, cuius prædicatione factum sit, vt multi, qui Huttenum non viderint, & nouerint eum & dilexerint.* quamuis Erasmus hunc non prædicasset, nos hodieque Hutteni merita nossemus, studia ac virtutem eius non solum diligentes, verum etiam magnopere suspicientes.

So-

non *facta esse*, adfirmat Camerarius: *Versus præterea in itinere ab sociis compositos, refutatosque esse quosdam mortuum Huttenum lacerantes.* in quibus quum *Luscinius quispiam* nominaretur, *Vulturem* hunc potius esse, *Epigrammate* quodam *Melanchthonis* ostensum esse, addit. Ipsum *Epigramma* in *plagula* ista, quam in *VVolfenb.* bibliotheca offendisse me, dixi, legitur: Lib. II etiam *Epigrammatum Melanchthonis*, I. 7, b, insertum est; elegans profecto:

Quum laceres miseros crudeli carmine Manes,
Nomen erit vultur, *non* Philomela *tibi.*

Ottomarus Luscinius forsitan, vrbis *Basileæ ecclesiastes*, intelligitur, *Erasmo* primum *amicus*, deinde *inimicus* adeo, vt in conuiuio dixerit, *Erasmum esse nebulonem, & omnes, qui legerent ipsius libros, fieri nebulones.* vid. *Ep. Erasmi* p. 1453, D, 1887, D.

Solas *Inferias*, quas *Petrus Lotichius Secundus*, Poetarum, quos Germania tulit, facile princeps, *Hutteno* nostro tulit, adscribam (m).

Adloquor Hutteni Manes, cineres*que* Poetæ,
Quos breuis in mediis insula *claudit aquis.*
Este salutati, Manes, *hæc summa laborum est*,
Alma quies vobis sit, nec arena grauis!
Accipe cum violis lacrimas, tibi fundimus illas,
Morte tua felix maxime *nuper* Eques.
Felix morte tua, Patriæ *non fata ruentis*,
Cuius eras Vindex, *non tot acerba vides.*
Patria *post obitus tibi contigit* altera Cœlum,
Maior & in cunctos sit tua fama dies.
Fortunate cinis, venerande nepotibus ipsis,
Aeternum salue, perpetuumque vale!

Inter illos, qui *mortui Hutteni caussam egerunt*, dignissimus est, qui primo loco no-

(m) ex *Lotichii Carminum* Lib. II, p. 173 *edit. Lips.* an. 1586, 8.

nominetur, *Otho Brunfelsius, Medicus* (n): hic enim est, qui toties in notis citatam a me *pro Vlricho Hutteno vita defuncto ad Erasmi Roterod. Spongiam Responsionem* emisit (o). Qua probatum iuit, *Erasmum de integerrimi* ac *clarissimi Viri, Vlrichi Hutteni, fama detrahentem*, multa & huic & compluribus bonis viris, qui ab *Euangelio* contra *commenta hominum* stabant, *aperte fraudulenterque adfinxisse*. Quum Erasmus inter tot alia *venenatissima scommata*, & *mordacissimas ironias*, Huttenum *perfrictæ frontis hominem, nullius pensi, impudentem*, & *Gnathonem* nuncupasset, qui tantum inuidiæ, tantumque labis & sibi & bonis litteris, & negotio Euangelico, & Germanico denique nomini conciliarit,

(n) cuius vitam inuenies, Lector, inter *Vitas Germanor. Medicor.* a *Melch. Adamo* descriptar. p. 22. edit. in 8.

(o) semel iterumque, vna cum ipsa *Hutteni Expostulatione* in 8 prodiit, *Argentorati* ap. *Io. Scottum:* vt ex *Erasmi* Ep. DCLXXIV, & DCLXXXVII, *ad Magistratum Argentinens.* datis, cognoui. vtpote quibus detulit Erasmus *Scottum* apud senatum, quod non solum *Hutteni Expostulationem* antea typis excripserit, odiosis additis picturis, verum tum etiam excuderit eam denuo *cum inuectiua cuiusdam parum sobrii.*

rit, Brunfelsius, *Euangelico negotio sic* eum *obfuisse*, ostendit, vt viderint hoc tum *in toto orbe florere, volentibus nolentibus tyrannis* omnibus; precatus, vt *Germanico nomini* nemo posthac maiorem contumeliam inferat, quam Huttenus intulerit, & vt *omnes Equites* tantæ *integritatis* sint, tanti *iudicii*, quanti Huttenus exstiterit. quo nemo diligentius *Romanensium sycophantias, maleficia, fraudes, technas* atque *tyrannidem detegere* vmquam sustinuerit. *Eant*, exclamat; *nunc & procedant Romanenses cum mercimoniis suis, cum bullis & ceris, cum pergameno & plumbo, cum indulgentiis & dispensationibus! præstringant oculos nobis cum anathemate & præstigiis suis, si tam nihil est, quod fecit Huttenus! videant, an potuerit vmquam maior & crudelior pestis contingere!* Ordine de reliquo & accurate ad calumnias Erasmi respondit Brunfelsius; ita, vt, postquam Erasmum *præfatione* adlocutus erat, ad ea primum, quæ ex *prima* ipsius *ad Vlricum Zwinglium Epistola*, deinde, quæ ex *secunda* eius *ad Lectorem Epistola* erant reprehendenda; denique ad *ipsam Spongiam* responderit. Quum in hac præclare scire se fassus es-

ſet Eraſmus, '*generoſum Hutteni animum contemptum non ferre*, Brunfelſius, *hoc adeo tibi perſuaſum habe*, reſpondet, *non tuliſſet cruentam & aſperam Spongiam hanc Huttenus.* Qui vtcunque *atrox in ſtilo* fuerit; *in familiaribus* tamen *colloquiis vix humaniorem quemquam* fuiſſe *illo*, adfirmat Brunfelſius; ita plane, vt dicere quis potuiſſet, *non eſſe illum, qui ſcripſerit.* id quod & illos, *qui vndiquaque ex alienis terris conueniendi eius gratia acceſſerint*, teſtatos eſſe, adſeuerat. Solide in primis refutaſſe videtur Brunfelſius Eraſmum calumniantem, *ſolum Lutherani vocabulum exſtitiſſe*, *quod defenderit Huttenum, quodque aluerit eum*, ſic reſpondendo: *Tunc meo iudicio, ſtultiſſimus & inſanus erat Huttenus, qui, quum poterat in principum aulis verſari, eſſe a conſiliis Regum* (p), *& viuere in paterna poſſesſione tranquille, hoc viliſſimo & ſordido quaeſtu maluerit ſuſtentari. Nam quid eſt, quod potuit ex Lutheranis ſperare? Quod ſi ad quaeſtum & ad*

(p) quibus conditionibus *Galliarum Rex* eum arceſſiuerit, ſupra audiuimus. *Saltzburgenſem* quoque *Cardinalem* maximis ipſum allexiſſe *praemiis*; nec alios Principes defuiſſe, qui, ſi noſtro *in aula*, vel etiam *extra hanc ſub ſtipendiis verſari* collibuiſſet, attracturi eum ad ſe fuiſſent, *Brunfelſius* teſtatur.

ad munera & stipem voluisset scribere, poterat se applicare, vt tu, Ro. Pontifici, Cardinalibus, Anglorum Regi. Neque dubito, quin magnificis præmiis hominem donassent, si stilum exercuisset in Lutherum. Paupertatem fortissimi *Equitis* vbi cauillatus est Erasmus, Brunfelsius hunc in modum eum redarguit: *Maluit Huttenus ex propriis viuere, & tenuis esse, quam sub magnificis titulis Christum & veritatem abnegare. Est autem honestissima paupertas, qua quis, repudiatis gloriis, & aulicis ampullis, mauult cum Christo tenuis esse, quam opibus pollere apud sæculum, quæ iniquissime parantur.* Mortem denique miserum Huttenum *tot malis* vel exemisse *vrgentibus* vel subduxisse *imminentibus*, quum censuisset Erasmus; Brunfelsius non minus grauiter respondit: *Hæc apud te atque tuos maxima est ignominia, sic malis adfligi, & miserum esse in hac vita, versari in variis periculis, esse sicut ouem occisionis tota die. Apud nos autem summa felicitas est. atque ideo beatam dicimus mortem, quæ dissoluit, & lucri facit nos Christo. beatos vocamus, qui hereditatem hanc filiorum consequuntur.* Ex paucis his argumentis atque responsionibus, ex ingenti nume-

ro a me deprompris, quemque collectu-rum spero, Brunfelsium tanti viri vir-tute atque innocentia haud indignum præstitisse sese *vindicem*: qui nec iniuria iudicauerit, *si quis exacte compresserit Erasmi Spongiam, nihil fere emuncturum eum, nisi elegantes nugas, & erudita mendacia, quæ egregium quidem ostentent artificem, ceterum hominem neque pium neque sincerum.* Ipsam ad Spongiam Responsionem *verbosa* in Libello insequitur *Epistola, Erasmo Roterodamo, Presbytero, & Scribæ Legis doctissimo,* ab eodem *Brunfelsio* auctore inscripta. In qua multis verbis hic exponit, quid effecerit, vt ad Spongiam respondere constituerit. Hanc primum *Nuenburgam* allatam sibi esse, adfirmat, quum adhuc viueret Huttenus, nec dici posse, quam male id se habuerit, quod, tam *contemptim* tam *ridicule* amicum *tractatum laceratumque esse* ab Erasmo, viderit. & quamvis nuntiata mox *eloquentissimi ac integerrimi Hutteni mors* acerbissimo dolore ipsum adfecerit, indies accrescente: *stultissimam* tamen *Spongiam* ægrius se tulisse, confirmat, quam ipsam istam mortem. præsertim quum *non Hutteni tantum negotium*

tium

tium egisse Erasmum, vidisset, in Spongia, sed *velut in chaum confudisse huc, quicquid vsquam mendaciorum corradere potuerit, quicquid ad inuidiam Euangelio ac negotio Lutherano conflandam facere quodammodo visum sit.* ita prorsus, vt, cuius *obiectiones non vere refellere* valuerit, hunc *rhetoricis* non erubuerit *obruere ironiis, adsumptionibus, præsumptionibus, suspicionibus, diuinationibus:* quippe quibus præstigiis nullum non fucum consueuerit Erasmus obtegere, nullam non veritatem obscurare. Accessisse, quod *infelix* & *misera Spongia iterum* per auctorem *edita* sit, vt non iam *adspergines abstergeret* ea, sed vt *contraheret* atque *imbiberet,* quicquid *vltimæ fecis* & *sordium* fuerit, quas compressa ista effunderet: cui *mordacem, sycophanticam* ac *virulentam,* quæ venum eam exponeret, in *altera* ista *editione* adiecerit auctor *epistolam.* Ne tum quidem, quum *tertio apud Colonienses* ederetur Spongia, Responsionem istam meditatum se adhuc esse, adserit Brunfelsius. donec amicorum, qui efflagitauerant, vt ne *atrocem adeo iniuriam, amico tam bene de ipso merito illatam,* ferret, petitionibus locum reliquerit:

nemini enim *Huttenicas res*, præſertim illas, quæ *inter eum atque Eraſmum geſtæ ſint*, melius perſpectas fuiſſe, quam ipſi *Brunfelſio*, amici huius perſuaſum ſibi habuerunt. *Suauem* quidem, *blandam*, *erudiτam* & *elegantem in Spongia*, cognouiſſe ſe, profitetur hic, *orationem*, ſed *plenam veneno mortifero*; quæ ſimile quoque *pectus* referre viſa ſit: *virulentum* nempe, *aſperum*, *arrogans*, *deſultorium* & *ſanguinarium*: verum enim verbum eſſe: *qualis vir, talis oratio. Virum doctisſimum* quidem & *eloquentiſſimum* præbuiſſe ſe Eraſmum, fatebatur ſimul Brunfelſius, ſed *leuem* & *arrogantem*, *qui*, vt apparuerit, *vel fruſto etiam panis ab recto & ab propoſito potuerit deduci* (q): *qui vel peſſimam cauſſam optimam facere auſus ſit. Sat diu*, compellat hunc Brunfelſius, *ſuſpeximus te, & merebantur hoc litteræ tuæ, quarum primus in Germania auctor eras: idem nunc velis propinare venenum, & mortis auctor eſſe: hoc exiſtimas nobis eſſe ferendum de te? -- viam oſtendebas, qua poſſemus non tam docti euadere, quam pii. Sed*

quum

(q) hanc cumprimis *exprobrationem* grauiter tuliſſe Eraſmum, ex epiſtola huius DCLXXXVII videre eſt.

quum hanc multos videres terere, & quosdam esse, qui in hoc negotio palmam praripiebant tibi, siue arrogantia, *siue* muneribus, *siue* inuidia, *deuictus, corruptus & occaecatus sis, quod volunt quidam, pro veteri melle, vel cum melle venenum instillas, vt scorpius in nouissimo aculeum infigis. quod nisi fecisses, nemo non in hanc diem tibi adsurgeret, nemo non congratularetur, efferret, celebraret, suspiceretque te.-- In confesso est, ex tot* hostibus Euangelii, *neminem vmquam plus obfuisse Euangelio, quam te, qui etsi palam quidem non impugnabas, tamen cum miris & inconstantibus inuolucris, & emblematis confundis omnia, dum studes simul Pontificatum stabilire & Euangelium, nimirum triticum & paleas, & cum tenebris lucem. Quid aliud agis, quam quod in vniuersum subvertis, quicquid antea instaurabas, vindicabas, euulgabas? -- velut quod & ipse in te quoque nunc liberior sum. sic* malo nodo malus quaerendus est cuneus. -- *Paruam enim rem esse putas, sic* tergiuersari, *&* animo duplici esse, in vtrisque humeris, *quod aiunt,* gestare? *Non habet hoc Germanorum, neque fides, neque integritas; sed ne Christiana religio quidem. Et de Hutteno quoque non satis mirari possum inclementiam tuam, & il-*

 lud

lud vere virulentum pectus. quo ferunt te sic omnes bonos & claros clanculario odio persequi Germanos. *Nam, vt in te quoque acerbior fuerit Huttenus; hoc tamen interest, quod ille* iuste, merito, pie & Christiane irascitur tibi: *tu* peruerse, iniuriose & mendaciter calumniaris: *& qui debebas culpam agnoscere, vel saltem Apologia testari, non adversari Euangelio te, hoc protestaris. -- Atque huc spectat etiam illud, quod ei negotio implicas etiam innocentes, velut illum non tam sanguine & ceris, quam etiam vitæ integritate, moribus & eloquentia clarissimum* Henrichum ab Eppendorff, Equitem Germ. *qui quoniam coniunctus homini fuit, eamdem laudem ex te reportauit, similem Erasmicam gratiam, qua soles frequenter laudare aut pessimos, aut obscurare nonnisi optimos. & ille quoque haberet, de quo posset expostulare, & crimine quodam adspergere te -- nitentem* confracto baculo Aegypti, *nihil non calumniarum regerentem, suffulcientem* muros Babylonis, & collapsam rem Romæ *instaurantem*. Satis vel potius nimis multa ex *Brunfelsii Responsione* excerpsisse sic mihi videor: factum id a me est, vt de ea iudicandi quodammodo tibi copia fieret, Lector, non

non vbiuis obuia. Quum ipse Erasmus professus sit, *non esse plausibilem cum amico digladiationem; & crudele videri in calamitosum esse dicacem: Spongiam* suam vt is numquam edidisset, optandum puto.

De eadem hac *Erasmi Spongia* exstat *Iudicium* Erasmi Alberi (r), *adeoque, quatenus illi conueniat cum M. Lutheri doctrina*. accessit *Epistola* Erasmi Roterod. *ad* Fabrum *Const. Vicarium.* item *Epistola* M. Lutheri *ad amicum piissima, de fucata Erasmi Spongia: deque Christi negotio sincerius tractando* (s). In hac iudicat *b. Lutherus: Equidem*

(r) *Herman. Buschium* latitare sub hoc nomine, existimauerat initio Erasmus. vid. huius ep. DCLXXXIV. nec vero *Buschium, virum ex aequo doctum & integrum, vt & impietatis & iniustitiae impatientissimum*, responsionem non meditatum esse, *Brunfelsius* adfirmat. a *Melanchthone* cohibitum eum esse, *Erasmus* in *secretissima* ista ad *C. Goclenium epistola* perhibet. Sed verum, vti constat, nomen est *Erasmus Alberus*; qui natione *Variscus* erat. Inscripsit hic *Iudicium* suum *Theodorico, Concionatori Francophordiano*; appellans se, *non Lutheranum, sed eius, quem docet Lutherus, discipulum*: id est, vt opinor, *Melanchthonis: ex cuius colloquio ferociorem factum esse Alberum*, censuit *Erasmus*, ep. DCCIII.

(s) *Lutheri* haec *Epistola* scripta est ad *Nicol. Hausmann,*

dem Huttenum nollem expostulasse, multo minus Erasmum extersisse; si hoc est spongia abstergere, rogo, quid est maledicere & conuiciari (ſ)? *Prorsus frustra sperat Erasmus sua rhetorica sic omnibus ingeniis abuti, quasi nemo sit, immo quasi pauci sint, qui sentiant*, quid alat Erasmus: *optabilius est contra se scribat. incredibilem enim & nominis & auctoritatis iacturam fecit hoc libro: vt me plane hominis misereat, qui ad caussam numquam accedit, & sic in vitia amicorum iam secundo sæuit:* & quæ sequuntur. *Lutherum* ad ipsum *Erasmum* in caussa hac litteras misisse, ex huius *ad Lutherum Epistola, Basileæ postridie Nonas Maias an. CIↃ IↃ XXIV scripta*, coniicio fere. Manu exarata hæc inter tot alias ab summis viris scriptas superiori tempore

pore

mann, inserta etiam T. II *Ep. Lutheri* p. 160. Vbi *Alberi Iudicium* & *binæ* adiunctæ *Epistolæ* excusæ sint, indicatum non est: forma, qua prodierunt, est 8.

(ſ) *Ioach. Camerarius* in *Vita Melanchthonis* p. m. 93, ita de *caussa ista* iudicauit: *Grauis querelæ scriptum contra Erasmum Roterod. editum: hic parum sane molli spongia abstergere studuit. Nic. Gerbelius* in ep. ad *Io. Schwebelium* XX, p. 56, *Erasmum* in *Spongia* sua *doctrinam Christi a Luthero vsque ad illud tempus prædicatam ita damnasse*, censebat, *vt nemo acrius.*

pore Epiſtolas, easque nondum editas, adſeruatur in exquiſito, atque chartaceis perinde ac aliis cimeliis inſtructisſimo, *Muſeo celeberrimi Schlegelii*, viri honoris cauſſa ſæpius iam a me in Commentario hoc nominati. *Aculeatam* ac *rabioſulam* Eraſmi hanc ad Lutherum *Epiſtolam* nominare haud vereor. Stomachabatur ſcilicet & moleſte is ferebat *Brunfelſii*, & *Alberi Reſponſiones*; quæ animum viri in optimi *Hutteni Manes* magis magisque irritaſſe, eiusque *ambitionem* vehementius exacerbaſſe mihi videntur. *Modeſtiam* in *Spongia* deſiderauerat *Lutherus*. cui ſummo iure id obiicienti *Eraſmus* ſic reſpondit, quaſi non *mordacem*, ſed *mitem maxime* atque *modeſtum* in Huttenum ſeſe præſtitiſſet in Spongia, *atrocisſima* in hunc conferens, vel cumulans potius, *crimina*: quæ quum ſciamus, ex quali fonte redundent, *præclare de Patria promeriti*, *a tot laudatis viris laudati*, ac *defenſi Equitis* famam lædere & de gloria eius detrahere non poſſunt. Plurima crimina in Spongia vtique iam congeſſerat Eraſmus in Huttenum: cuius Manes quo magis grauaretur, maledicta mul-

ta repetiit. *Se de vita Hutteni, luxu, scortis, alea, perditissima, de stultissimis illius gloriis, nulli, quamuis amico, at patienti tolerandis, de decoctionibus, quicquam in Spongia dixisse*, negat *Erasmus* in Epistola ad *Lutherum*. qui tamen non *soli Hutteno*, sed *omnibus*, qui *Lutheri caussæ fauebant*, crimina eiusmodi in ea exprobrasse videtur, scribens (ss): *Quoties autem reuocat me ad suas partes? quo iubet me venire? Ad viros bonos & Euangelicos? Ego libenter aduolarem, si quis commonstret, si quos norit, qui pro vino, scortis & alea, semet oblectant sacra lectione, sanctisque confabulatiunculis, qui neminem fraudant pecunia debita; -- qui nemini vim aut inferunt, aut minantur: -- qui non iactant glorias suas, laudem venantes, vel ex malefactis, vel ex his, quæ non gesserunt ipsi --. Si quos nouit, inquam, huiusmodi moribus vere Euangelicos præditos, commonstret, & habebit me sodalem.* Qua conscientia talia scripserit Erasmus, exputare nec possum nec volo: præsertim quum antea de *Luthero* scripserit (tt): *Id verissimum esse comperiet, quisquis volet vestigare: hominis vita magno omnium consensu probatur: iam id non leue præiudi-*

(ss) c. 3, b, seq. (tt) Ep. p. 322.

iudicium est, tantam esse morum integritatem, vt nec hostes reperiant, quod calumnientur. alibi (t): *Lutheri vitam apud nos nemo non probat.* (tt): *Audiebam eximios viros, probatæ doctrinæ probatæque religionis, sibi gratulari, quod in huius viri* (Lutheri) *libros incidissent. videbam, vt quisque esset integerrimis moribus, & Euangelicæ puritati proximus, ita minimum infensum Luthero. porro vita prædicabatur, & ab iis, qui doctrinam non ferebant.* Plures laudes, quibus *Lutherum* ornauit *Erasmus*, proferre nihil attinet: quum huius elogiis non indigeat *Lutherus*. tantum pauca ista adduxi, vt commonstrarem, quam mobiliter sese gesserit Erasmus in iudicando, laudando, vituperando. plura, quæ Erasmus *sanctissimis Lutheri moribus* impertire antea non dubitauerat, *elogia* ex Hutteni Expostulatione supra a me sunt prolata. *Franciscum de Sickingen* ille laudauerat ante (u): *Nomen eius non sinent emori litteræ, nisi velint ingratitudinis postulari.* Generum huius *Harthmuthum a Croneberg*, his verbis prædicauerat eodem fere tempore, quo temere ita de optimis ac religiosis viris effutire non

(t) Ep. p. 432, A. (tt) p. 596, C. (u) p. 477, E.

non erubuit (v): *Cronbergius Francisci gener bis me conuenit: cuius indoles & oratio me certe mirum in modum delectauit. declarauit enim hominem simplicem, fucique nescium, magno tamen ingenio praeditum.* quo eodem tempore *Henr. ab. Eppendorf* hac adfecerat laude (x): *praeter generis claritatem, ac litteras, moribus suauissimis*; quem *rara indole iuuenem, & ipsa fronte generis sui nobilitatem prae se ferentem*, alibi nuncupauerat. Singuli hi viri, praeter innumerabiles alios, *Hutteno nostro amicissimi*, aperte, vt cognouimus supra, *Lutheri caussa magnopere voluerunt omnia*: & tamen Erasmus, *probos viros, qui Luthero fauerent, nosse se, negauit.* Laudibus istis condecorasse se praestantissimos istos viros, quum calumniaretur adeo, meminisse debuerat, de trito verbo cogitans: *mendacem oportet esse memorem.* Quantis laudibus ipsum Huttenum paullo ante, quam conuicia ista in hunc iactarit, exornarit, obscurum non est: *facundissimus* commendabatur (y) *Eques, orator bellacissimus, iuuenis candidissimi pectoris, & bonorum dignus* amo-

(v) Ep. p. 760, A, B. (x) p. 560, D. & p. 754, B.
(y) Ep. p. 538, E.

amore; cuius ingenium mire felix ac festiuum etiam tum non potuerit Erasmus non amare, quum Lutherana tempestas Musis id eripuisse ipsi videretur (z). talis, inquam, commendabatur ille ab Erasmo, qui, non ita longo tempore interiecto, ab eodem *egens & omnibus rebus destitutus, nidum aliquem, vbi moreretur, quaerens* tractabatur, vt *gloriosus* contemnebatur *miles* (a), mortalium pestilentissimus exagitabatur. Mores huius quum expressurus esset Erasmus in Spongia, ac rabiosa ista ad Lutherum Epistola, recordari debuerat verborum, quae ipse in Spongia protulerat (b): *Quid autem improbius, quam Huttenum sumere censuram morum meorum, qui numquam mecum egerit consuetudinem, nisi quod semel, aut ad summum bis mihi fuerit conuiua? Pronuntient de moribus meis, qui familiariter ac diu mihi conuixerunt.* Pronuntient itaque de Hutteni moribus, qui familiariter eo vsi sunt. *Brunfelsius* pronuntiauit, *Eob. Hessus, Crotus Rubianus*, alii. quorum grauissima testimonia impudentis Erasmum conuincunt calumniae, qua laudatissimi Equitis famam la-

(z) Ep. p. 760, A. (a) p. 817, B. (b) f. 4, a,

lacerare veritus non sit. Non autem satis habuit Erasmus, veterem amicum perditissimorum incusasse vitiorum in stomachosa ista Epistola. *Se siluisse in Spongia*, magnifice porro ibi iactat, *de extorta a Carthusiensibus pecunia, de amputatis auriculis duobus prædicatoribus, de latrocinio inuasis tribus Abbatibus in via publica; ob quod facinus vnus e famulis illius capite truncatus sit: deque aliis illius facinoribus, vulgo etiam notis.* Mortuo talia exprobrare facile erat Erasmo. Quin falsa multa de *fortissimo Veritatis Libertatisque adsertore*, & *viuo* & *mortuo*, infensissimorum hostium huius sermonibus diuulgata sint, quis quæso hodieque dubitaturus sit? Ipse Erasmus in minacibus istis ad Huttenum litteris (c) scripserat: *Non es ignarus, quæ fa*bulæ *vulgo de te ferantur; neque nescis, quamobrem tibi succenseat, quidque tibi minitetur Comes Palatinus, qui de famulo tuo sumpsit capitis supplicium.* *Fabulis* fidem habere nefas puto. Sed fac, atrocia nonnulla in bello isto, quod *Franciscum de Sickingen*, iniurias Hutteno illatas vlturum, *Schlet-*

sta-

(c) ep. DCLXXII.

ſtadio oppido intuliſſe, ſupra demonſtravi (d):

- - - - - Mars implacabile monſtrum,
Dira lues hominum, mortisque Erebique miniſter.

quis culpam rei ſuſtinuerit, ipſe *Eraſmus* nobis exponat (e): *Hutteni ac reliquorum libertatem faterer & ipſe intolerabilem, niſi ſcirem, quam atrocibus modis tum publice, tum priuatim irritentur. Ipſi* (eorum hoſtes) *ſibi permittunt, vt in ſacris concionibus, in ſcholis, in conuiuiis odioſiſſime, immo ſeditioſe quiduis vociferentur apud imperitam multitudinem, & facinus non ferendum arbitrantur, ſi quis horum auſit mutire. quum & apiculis ſit aculeus, quo læſæ feriant: & muſculis denticuli, quibus offenſi ſeſe tueantur.* In Epiſtola ad Lutherum ſic contra Huttenum ſtomachari pergit litigator Eraſmus: *De perfidiſſime euulgata ad Moguntinum epiſtola, ſuppreſſo ipſius nomine* (f), *refero*

(d) pag. 219. add. not. (q). (e) Ep. CCCXVII.

(f) nominatim vtique in Huttenum inuehitur ea cauſſa in *Spongia* f. 7, b. ſeq. implacabilis iracundia effeciſſe videtur, vt ipſe Eraſmus hac occæcatus neſciuerit, *quam virulentam* dederit *Spongiam*. non aliter vero eam ob rem in Huttenum inuehitur is, quam ſi *læſæ maieſtatis crimen* commiſiſſet.

fero; *de altera perfidia, qua fuerat vſus in me, taceo: extorſerat, vt multis epiſtolis meis commendaretur in aula Cæſaris, quum iam coniuraſſet aduerſus Cæſarem, tantum volens abuti Cæſaris nomine ad venandam vxorem.* Quando aduerſus Cæſarem coniurarit noſter, probandum fuit. ſumma hunc in Cæſarem pietate fuiſſe, Epiſtolæ, quas integras partim, partim excerptas ſupra dedi, affatim contra Eraſmum, criminantem talia, teſtantur. Quam exulceratus fuerit Eraſmi animus, vel ſola nomina, quibus *Huttenum*, *Brunfelſium* atque *Eppendorfium*, in eadem ad Lutherum epiſtola, notauit, declarant. hunc, quem prius, vt paullo ante cognouimus, ſummis extulerat laudibus, *nebulonem* ibi nuncupat, *quo perditius nihil vmquam exſtiterit:* in cuius ſolius gratiam Huttenus cum ipſo expoſtularit. illos *furias* appellat, atque *portenta*: *in quorum fœdus admiſcere ſeſe noluerit.* In ipſa Spongia *Lutheri partes*, quas *factionem* ſemper nominat, *perpetuo auerſatum ſe eſſe*, & *alieniſſimum ſemper futurum ſe ab iis*, aperte iam faſſus erat (ff). quum vero *nec alteri*

(ff) d, 3, a. d, 4, a.

teri parti addictum se fuisse, adfirmarit (g); accidit profecto, quod futurum prædixerat ipsi Huttenus noster, vt *Lutheranæ parti aduersarii æque aspere deinceps tractarint Erasmum, ac Huttenum, ac ipsum Lutherum & qui huic fauerunt.* licet *Erasmus*, vti ipse insolentius de se iactat (h), *inexplicabili Labyrintho se non inuoluerit*, licet *bellum non indixerit Pontifici Romano, non scripserit postillas in Bullam Pontificis, non professus se sit protectorem Lutheranæ factionis, non aduersatus sit edicto Cæsaris.* Aeque crudeliter tractatum esse Erasmum ac Huttenum a Pontificiæ religioni deuotis, si quis in dubium vocarit, *Odoricum Raynaldum* consulat (i): qui postquam *Erasmum impium hominem* vocauerat, *Mahometis & Iuliani apostatæ consortem*; eum *Hutteno* nostro *socium* plane adiunxit, scribendo (k): *Auxit admodum hæresin Sacerdotalis ordinis contemptus: quem* Erasmus *apud iuuentutem profanæ rei litterariæ deditam, &* Huttenus

T 2 *apud*

(g) extrema fere *Spongia.*
(h) in ead. *Spongia*, f. 1, b. f. 6, b.
(i) Tom. XX *contin. Annal. Baron. Col. Agr.* 1690, in fol. p. 261, n. 78.
(k) pag. 271, n. 149.

apud plebem libris suis refertis calumniis, cavillis, facetiisque creauerunt. Melch. Inchoferum euoluat is porro velim, qui de rei veritate subdubitauerit (l): reperiet, hunc inter illos, qui *veteris doctrinæ adfirmatione rem Catholicam eloquentissime vindicarint, Erasmum* numerare dubitasse, quia *Protheus* hic *Batauicus*, vt eum nominat, *pietatem stilo vulnerarit.* quod horribilius pertimescendumque magis sonare quidpiam mihi videtur, quam hæc verba (ll): *Huttenus sermonibus & scriptis seditiosis omnes contra Romam incitabat, eiusque defectus continue exaggerabat.* Talem gratiam Erasmus *simulatione* sua ac *perpetuæ suæ in sedem Romanam pietatis ostentatione*; *probris* e contrario, *maledictis*, atque *conviciis*, quibus *Lutheranos* acriter consectari perseuerauit, a *Pontificiis* iniit; cuius vicem, quum neutri parti studuit, neutrius partis eruditi vmquam doluerunt.

Hutteni atque Erasmi animus, ingenium ac diuersa plane natura, scite ad-

(l) *Historiæ sacræ Latinitatis* lib. I, c. XIX, p. 36.
(ll) *Ludouici Maimburgii* in ill. *Seckendorf. Hist. Lutheran.* Lib. I, Sect. 35.

admodum in *Tragœdia* illa, quæ *Parisiis* ducentis fere abhinc annis *coram Rege acta* est (m), adumbrantur. quæ quum typis exscripta nusquam, quantum mihi equidem constat, legatur; integram eam in lucem hic proferam publicam. licet vero etiam dudum litteris proditam ac insertam vspiam eam exstare, non ignorassem, temperare mihi tamen plane non potuissem, quo minus eam huc attulissem: tam accommodata ea mihi videtur, quæ Corollarii instar a me hoc loco addatur. Eidem celeberrimo Viro hanc debeo, cui potissima Commentarii huius ornamenta vltro accepta a me referri, sæpius ingenue sum professus; amplissimo *Schlegelio* nempe. Hic inter *Ioannis Langi*, clarissimi istius *Prioris Erfurdensis*, Luthero amicissimi, Epistolas manu scriptas ab se adseruatam eam, pro sua in litterariam rem adornandam facilitate non grauate mecum communicauit. Nec vero, quo insignita

(m) *Comœdia* eiusmodi *an.* CIↃ IↃ XXX *Carolo* Imp. huiusque Fratri *Ferdinando* exhibita etiam est: de qua vid. cl. *Io. Henr. Maii Vita Io. Reuchlini* p. 547, seq. sed breuior hæc multo est, minusque concinna.

gnita est *Tragœdia*, *argumentum* omittendum puto; quod hoc est:

Imago exhibita ab aduersariis de Primitiis reuelatæ doctrinæ Domini nostri Iesu Christi, *eiusdemque* defensoribus, *&* *de* hostibus Ecclesiæ, *horumque clandestinis* insidiis *&* *crudelissimis* consiliis, *de tollenda Dei veritate per* D. Martinum Lutherum, D. Philippum Melanchthonem, *&* *per* alios pios Doctores *nostros in hac vltimi mundi senecta patefacta & a fœda Papatus squalore repurgata.*

Tragœdia Parisiis *acta in Regia aula. Aderat personatus* Papa, *sedens sublimi solio corona triplici redimitus*, *circum se habens* turbam Cardinalitiam *cum comitatu* Episcoporum Fratrum*que* mendicantium; *sedentes pro tribunali rem Christi iudicaturi. In aulæ meditullio viuus* ignis *erat multo carbone succensus. Quum is ex omni parte feruidus, tandem multo cinere sopitus, vt calorem vix sentire possis, igne obtecto, apparuit* senex veneranda canitie, *perterritus quodammodo tam magnifico cœtu, cui REVCHLINI personam indiderunt Actores. Hic magna verborum ambage nostræ* Ecclesiæ luxum detestatus, *multasque* sacræ rei desuetudines professus

ſus, *tandemque perſuadere conatus tanto cœtui, niſi rebus ſuis, (quas Chriſto conſecratas aiant) melius conſulerent*, omnes irent perditum. *Sic venerandus ille ſenex ignem cinere obductum acceſſit, bacillo, quod manu geſtabat, cinerem ab igni ſubmouit, vt facie tenus appareret. Hoc facto, lux foras promicuit. Ille quum abſtitiſſet, aderat* magni nominis Theologus, *Senatui Cardinalitio non incognitus, cui ERASMO ROTERODAMO fecerunt nomen. hic, quia notus Pontificibus*, viuam rem etiam non ſecuit, ſed vulnus malagmatibus & emplaſtris, alias virulentum, paullatim curare nitebatur, vtrique parti conſulens, repentinam mutationem rerum tam ſeriarum diſſuadebat, temporisque ſucceſſu tantum vulnus curandum *aiebat. Illi conſidenti propiore loco poſt Cardinales magnus honos habitus; ne hunc virum haberent inimicum, quem ſuæ rei propugnatorem ſperabant. Tum* armatus *aderat*, homo omnino ferreus corpore & animo: *qui quam primum in medium prodiit, (huic nomen HVTTEN fecerant) hic* iratum animum irato ſermone prodidit, omnemque tam celebrem conſeſſum flocci faciens *dixit*: Veſtra opera nos hactenus perpeſſi ſumus

mus rei diuinæ tam insignem iacturam, *quumque* Pontificem Antichristum *aperta voce denuntiasset*, deuastatorem*que & po*pulatorem totius Christianismi, *accessit ad ignem per senem detectum, & cineres dispersit, omnemque calorem, accepto folle, sufflando excitauit, ita, vt etiam totus senatus, stupore perterritus, obmutuerit. Illo sufflante, & ira percito, inter laborem accidit, vt mortuus concideret. Hoc viso, gaudium & mœrorem Senatus suppressit, delatusque est foras, nullo funeris obsequio sepultus. Tandem, nescio quis, stulto* vestitu, *vtpote* monachali, *ingrediens, cui LVTHERO cognomen inditum erat, magnam struem lignorum, veluti alter Isaac in humeris baiulans, inquit:* Ignem iam parum lucentem toto orbe lucere faciam. Per vos res Christi periit, per me Christi opera, vobis inuitis, restituetur. *Sic focum accessit, & ligna viuis carbonibus superposuit, quæ mox victrix flamma absumere conata totam aulam, quod parum est, immo totum mundum illuxit. Sic se proripuit foras monstrosus Cœnobita, illico totus Senatus pæne terrore exanimatus in vnum coiit, consulturus rei tam ambiguæ. Vbi* Pontifex, *indicto silentio, inquit:* Viri fratres, quid sibi volunt

sunt tam immensa portenta? quid monstrosus ignis? non video, nisi vt ignomina nostra toto celebretur orbe: & nisi huic errori succurratur, peribimus: vbi semel nostræ Religionis prætextus vulgo innotuerit, deturbatique fuerimus, in ordinem redigemur, illudque *Dei cognomen*, cuius *vices* huc vsque gessimus, auferetur a nobis, numquam posthac (quod non vellemus) redituruṃ. Quare vos hortor per sacrosanctam Apostolicam sedem, per Christum, cuius vices gerimus, vt huic perniciei succurratis, nosque hac ignominia & vos tam insigni iactura releuetis. *Sic Pontifice, obortis lacrimis, obmutescente, quidam* mendicantium ordinis fraterculus, *obeso & protentiore ventriculo, capite pingui, qui inquit:* Sanctissime Pater, totiusque orbis regnum Christi tenens, ac pro libidine moderans, nos tui alumni, ordinarii fratres, iam percepimus, quantum dolorem Paternitas tua ex hac tragœdia perceperit. si Paternitati tuæ visum fuerit, erimus defensores huius pestis tam noxiæ. *Diploma* tuum vel aliud nos facit *veræ fidei defensores*, patresque

noſtri tibi nobisque hactenus rem Christi pacatam & tranquillam reliquerunt, totusque orbis nos *hæreticæ prauitatis Inquiſitores* in hunc diem vsque appellitat. Quare Paternitas tua omnem huius rei moleſtiam in nos trudat: & tibi nobisque rem proſpere peractam (firmiter crede) ducemus. *Iam totus* Cardinalitius Senatus *Pontificem compellat, vti res in iſtiusmodi homines deuoluturi, qui etiam* Huſſitam *Conſtantiæ armis victricibus exuerunt, & pugnæ iam adſueti conflictum forti animo ſuſtinebunt. Tandem res eo deuenit, vt dolis, inſidiis, inuidia & fraude vtrinque rem iam pæne inclinatam reſtituerent, & quo maiore tum opera, tum ſtudio rem tractarent, fratribus* Pontifex *dixit:* Fratres, ſi nunc proſpere, vt *Conſtantiæ*, hæreſeos tumultus abegeritis, magna præmia a nobis exſpectabitis. Quadruplicis enim veſtri Ordinis viros videbitis, abiectis tam monſtroſis veſtibus, ſublimi cultu ornatos, equis & ſellis inuehendos, ac purpureis mitris conſpicuos, inſuper & pinguibus Epiſcopatibus dotatos cernetis. ite feliciter, & dominium nutabundum erigite, ac nobis vobisque conſulite, fratres,

cona-

conati incendium exſtinguere, neſcio quo fato, factum. *Quum autem ipſi pro aqua vinum, quod aiunt, defecatum infudiſſent, & flamma oborta totum pene conſeſſum exanimaſſet, fratres iſti ſibi fuga conſulentes aulam reliquerunt, & ignem longe lateque relucentem. Tunc Pontifex, totusque Senatus propius acceſſerunt ad hunc ignem, ſuggeſtione dæmoniaca accenſum rati. Tunc* Senatus *Romanæ Eccleſiæ ſupplex Pontificem orabat in hæc verba:* Sanctiſſime Pater, tibi poteſtas tradita eſt in cœlo & in terra. huic igitur Elemento *maledictionibus* obnitere, ne in immenſum ſumptis viribus accreſcat. nullum eſt, quod certo ſcimus, ſub cœlo Elementum, quod non tuo imperio diſſoluatur. tibi imperium in cœlo & terra commiſſum. etiam *Purgatorium* pro tuo arbitratu defunctorum animas vel tormentis cruciat, vel liberat. quare ſanctitate tua hunc ignem maledictionibus ſolidis adgredere, ne omnibus hodie contemptui ſimus! *Acceſſit ad ignem Pontifex propius, inquiens:* Maledictus, qui ſuccendit hunc ignem, obſcurent te tenebræ & vmbræ mortis, occupet te caligo. nox tenebroſa te poſſideat, ne lux

lux tua vltra illucescat! & qui tibi alimentum fomitemque præbuerit, percutiat eum Dominus vlcere Aegypti, & partem corporis, per quam stercora egeruntur, scabie & prurigine, ita, vt curari non possit! Percutiat eum Dominus amentia & cæcitate ac furore mentis, vt palpet in meridie, sicut palpare solet cæcus in tenebris; *Postquam hæc dixerat Pontifex, senseratque, verba sua exsecrationis nihil in ignem posse, sibique falso persuasum esse, agnouit, potestatem se habere in Elementa, ira motus exspirauit. quo viso, tota concio in risum soluta abiit.*

Reliquum est, vt ostendam, quæ *scripta Huttenus*, vel *celato*, vel *ficto nomine*, edidisse existimetur, & quænam *postuma* eius sint scripta. Satis equidem habiturum te, spero, amice Lector, si *simplicem* vtrorumque subministrauero tibi *enumerationem*, nam qualia ea sint, ex vberioribus, quæ ex reliquis scriptis dedi, excerptis, non ita difficili coniectura augurari poteris. Quod si enim æque copiose & hæcce scripta excerpere instituerem, posterior hæc Commentarii Pars priorem magnitudine longe

ge ſuperaret: qui vel ſic eum ſuperat: quamuis, vt ne fieret id, curaturum me promiſerim. Quod vero celato fictove auctoris nomine diuulgata ſcripta ipſi Commentario non inſeruerim, nec temporis ordinem annorumque ſeriem, vt in reliquis ſcriptis recenſendis feci, ſecutus ſim, in cauſſa eſt, quod nulli eorum tempus, quo editum eſt, adſcriptum legitur. Eſſe nonnullos, qui Huttenum * *Orationis, qua diſſuadebatur, ne Principes in Decimæ præſtationem, quam Legati Leonis X, P. coram Imp. Maximiliano in Principum conuentu ad expeditionem contra Turcos petierant, conſentirent,* auctorem habeant, dudum monui (o). Mi-

(o) P. I, p. 197. Inſerta ea eſt T. II *rerum Germanicar. Scriptor.* a *Marq. Frehero* editor. Multus eſt *Odoricus Raynaldus* T. XX *contin. Annal. Eccleſ. Baronii* p. 261, n. 76, ſeqq. in refellenda *oratione* hac, quam *plenam ſchismatico furore* appellat. Si omnino auctor eſt orationis *Huttenus*, quod liquido adfirmare non auſim, non diſſuaſit bellum contra Turcos gerendum; verum a Pontificis legatis ne imponi amplius ſibi paterentur, hortatus eſt Principes: quandoquidem Decimæ iſtæ non in *bellum* iſtud, ſed in *luxum* inſumerentur. *alii* itaque *Turci* debellandi prius orationis auctori vide-

Minus vero dubitandum est, quin Dialogi auctor sit Huttenus, qui hac insignitus inscriptione exstat: * *Iulius Dialogus viri cuiuspiam eruditissimi, festiuus sane ac elegans, quomodo* Iulius II, P. M. *post mor-*

debantur, quam impetus in *perpetuos* istos ac *infensissimos Christiani nominis hostes* fieret. ita *Eob. Hesso* etiam videbatur: qui in *Elegia* ista *ad Huttenum nostrum & Lutheri caussam adsereret*, p. 864 cecinit:

> *Hæc sunt* iusta, *quibus faueat Germania* bellis,
> *Quorum est, quæ periit, maxima* caussa fides.
> *Hos* Turcas, *i, vince* prius, *Germane, quibus te*
> *Tam* seruire *diu* turpiter *anne pudet?*
> *Deinde* alios Turcas *quæres; quos vincere possis,*
> *Quosque* labor *fuerit*, vincere *forte* minor.
> *Sed tamen* imbelles *facile est superare* Cinædos,
> Nil dederis, *victi iam tibi terga dabunt:*
> *Namque* tuo *quoties* auro *tibi damna tulerunt:*
> *Tu* damni neruos, *in tua membra* dabas.

De bello Turcis inferendo consilium diligenter omnino ineundum Christianis esse, plane declarauit noster in sua *ad Principes Germaniæ, vt bellum Turcis inuehant, Exhortatoria: publico Germaniæ concilio apud Augustam Vindelicor. an. M. D. XVIII.* Quod *bellum vtile* futurum ostendit; quod Principes rebus suis eo consulerent; idem *honestum* fore, quod pro dignitate tuenda vitam exponerent; & *necessarium* denique, quod, nisi gererent illud, esse non possent. *Turcos a spurcissima omnis barbariei colluuione proflatam gentem esse*; monstrauit: *qua, non*

mortem cœli fores pulsando, ab ianitore illo, d. Petro, intromitti nequiuerit, quamquam, dum viueret, ſanctiſſimi, *atque adeo* ſanctitatis *nomine appellatus, totque bellis feliciter gestis præclarus*, dominum cœli *futurum se esse speraret. Interlocutores Iulius, Genius, d. Petrus. Lector risum cohibe* (p)! Quod ipſum argumentum auctorem prodere videtur orationis ſic inſcriptæ: * *Oratio ad Chri-*

vt imperaret, sed vt occideret, veniret: quorum Domini infensi religioni, ac nomini Christiano plus quam credi possit, inimici. Fruſtra itaque *Raynaldus* ſuam in refutando hac in re Hutteno collocauit operam: vtpote qui recte prorſus ſapienterque de bello eiusmodi ſtatuit.

(p) Dialogum *an. 1517* diuulgatum iam eſſe, ex *Erasmi Epistolar. Append.* ep. CLX, & CLXVIII cognoui. fuerant tum, qui *Erasmum* eius crediderant eſſe *auctorem*: qui ægre id tulit; exiſtimans initio, *ridiculi argumenti Dialogum* ex *Gallia* in *Germaniam*, vbi in Latinum conuerſum eum conſebat ſermonem, eſſe apportatum, ab *Hispano* quodam primum confectum. Dignum omnino diiudicavit *Lutherus* Dialogum hunc, qui poſteritati traderetur diligenterque ab illis, qui temporum iſtorum faciem atque naturam cognoſcere cuperent, legeretur. vid. *Cyr. Spangenberg. Adelspiegel*, P. II, lib. VI, c. X, p. 47, b. a *Phil. Melanchthone* idcirco cum *Hutteni Arminio* & aliis *VVittebergæ*, an. 1557, 8, ap. *Io. Lufft*, denuo editus iſte eſt.

Christum Opt. Max. pro Iulio secundo, *Ligure, Pont. Max. a quodam bene docto & Christiano perscripta. Plaude, Lector, oculos recepit Germania! Lege & adficieris.* extrema oratione hæc verba leguntur: *In Germania tandem iam sapiente* (q). Nemo etiam ferme est, qui in dubium vocet, quin Hutteniani ingenii fetus sit, * *Philalethis Ciuis Vtopiensis Dialogus, de* Facultatibus Romanensium *nuper publicatis. Interlocutores: Henno rusticus, Polypragmon negotiator, Bruno puer, Bartolinus Curtisanus, Legatus Romanus.* In fine lectorem ita adloquitur auctor: *Si quid te, Lector, offenderit, æquum iudicato, pro atrocitate rei adhuc nihil satis est. Effusa hæc sunt modo: breui maiora grauioraque exspectate. neque desistent mei reliqui ciues magno numero hoc modo grassari, nisi tandem his non ferendis malis Christi liberetur Ecclesia, ac Germania suum retineat aurum, ac veram ab iis religionem discat. Tu interim hæc legens, risum contineto, fleto potius. Plaude, Lector, oculos iam recepit Germania (r)!* Nec est, quod illis fidem

(q) *bina*, eæque in f. 8, notæ mihi sunt *editiones.*

(r) hunc ipsum *Dialogum* respexit sine dubio *Melch. Adamus* extrema *Vita Hutteni* scribens: *id monendum*

dem non habeam ego, qui adfirmant, ab Hutteni ingenio libellum profectum esse, in cuius ipsa fronte * *Pasquillus Marranus Exsul Lectori salutem dicens*, hunc ita adfatur. *Vidisti saepiuscule, Lector, labores nostros, quibus hactenus* contra corruptos nostri aeui mores *sudauimus. Nunc cognosce, quid in nouos illos Theologistas adulatores ausi fuimus, quidve, Marforio nostro auspice, obtinuerimus a Pont. Ro. versa pagella, quae sunt, ostendet. Tu lege, & probaris.* Continentur, vt versa pagella ostendit, *I Epistola Pasquil. Ro. ad Marforium Romanum* (s). *II Responsio Marforii Ro. ad Pasquil.* (ſ). *III Supplicatio non minus lepida, quam necessaria. Eiusd. Pasq. ad S. D. N. Papam. IV Decretum Papae super supplicat. Pasquilli. V Epi-*

dum videtur, a nonnemine Hutteno & Dialogum Philalethis, ciuis Vtopiensis -- adscribi. non autem, vt clarissimus *Heumannus de Libris Anonymis & Pseudonymis Schediasm.* pag. 99, censuit, *Dialogum*, qui *Trias Romana* inscriptus prodiit, vtpote qui non *Philalethis*, sed ipsius *Hutteni nomen*, vt supra cognouimus, prae se fert. Vid. *Vinc. Placcii Theatrum Pseudonymor.* p. 499. n. 2110.

(s) *d. Antwerp. penultima mensis Iunii an. M. D. XX.* fingitur.

(ſ) *d. Romae ex monte Auentino XXVIII Iulii an. M. D. XX.*

ſtola Marforii Ro. ad Germaniæ Principes, Auguſtæ Cæſareis Comitiis collectos. Illis (ſſ) denique etiam facile adſentior ego, qui perſuaſiſſimum ſibi habent, ſub *S. Abydeni, Coralli, Germani*, nomine neminem alium latitare, quam *Vlrichum Huttenum.* Cogniti mihi primum, ac peruolutati a me ſunt * *Dialogi ſeptem, feſtiue candidi. Momus. Carolus. Pietatis & ſuperſtitionis pugna. Conciliabulum Theologiſtarum, aduerſus bonarum litterarum ſtudioſos. Apophthegmata Vadiſci, & Paſquilli, de deprauato Eccleſiæ ſtatu. Huttenus captiuus. Huttenus illuſtris. Auctore S. Abydeno Corallo, Germ. Ite in vniuerſum orbem* (ſt). Probe deinde nota mihi eſt * *Oratio ad* Carolum *maximum, Auguſtum, & Germaniæ* Principes, *pro* Vlricho Hutteno, *Equite Germano, &* Martino Luthero, *Patriæ & Chriſtianæ Libertatis adſertoribus,*

(ſſ) vid. *Vincent. Placcii Theatrum Pſeudonymor.* p. 7, n. 20.

(ſt) *duæ*, quantum ſcio, exſtant *editiones* in 8. alteri addita ſunt verba: *Datum Romæ ſub priuilegio Papali ad annos perpetuos. Læta Libertas.* Breues ſunt Dialogi, libellum *VII plagularum* conficiunt. *Conciliabulum Theologiſtar. Huttenus captiuus, Huttenus illuſtris,* vni alterive *Obſcuror. Viror. Epiſtolar.* editioni, veluti *Francofort.* an. 1624, 8. acceſſerunt: ſeparatim etiam, neſcio quo loco ac tempore, in 12 ed.

bus, *Auctore S. Abydeno*, *Corallo*, *Germ.* (t) *Germanico* vero etiam *sermone* confecti Dialogi sunt, quorum auctor Huttenus esse quibusdam videtur: inter hos est *Karsthans* & *Neukarsthans*: cui postremo *XXX Articuli*, siue recuperandæ Libertatis momenta, adiecta sunt: de qui-

V 2 bus

(t) in 4. hanc ipsam orationem Huttenum ad *Eob. Hessum* paullo ante mortem suam manu scriptam misisse, quæ *Erfordiæ* clanculum imprimeretur, supra p. 244, in not. coniecturam feci. *Libelli quiddam in tyrannos*, *typis imprimendum*, mittere se, scripsit ad *Hessum*: hac certe oratione grauiter in *tyrannos* inuehitur *Corallus*: id quod ex hoc *orationis exordio* non obscure comparebit cuilibet, qui ipsam orationem non euoluit: *Scitis*, *ac item experti estis*, *Principes inuictissimi*, *quam vilissimam*, *ac longe miserrimam* seruitutem *perpessissimus*, *annis iam multis*, *sub* tyrannis *quibusdam eo* crudelioribus, *quod sub* pietatis prætextu, *&* Christi caduceo, *quem preferebant*, meros Busirides *referrent &* lupos rapacissimos, Romanensibus, *inquam*, *quos hodie vocant*: *qui* libertatem *nostram*, *quam ille nobis donauit summus ac piissimus legislator noster Christus*, *mendatiis & imposturis quibusdam conati sunt subuertere.* *Ratio* præsertim, idque vehementer & acriter *redditur* a Corallo, *quamobrem nocentissimis & perniciosissimis tyrannis eiusmodi* Huttenus *&* Martinus *sese opposuerint.* Ne verum auctorem odorarentur statim inimici, in vtriusque, prioris præcipue, laudes diffunditur simul oratio.

bus obseruandis coniurasse quidam finguntur (tt).

Plurimos præterea *contra corruptos sæculi* istius, in quod Hutteni ætas incidit, *mores* confectos *Libellos* cognitos habeo: qui si non ab ipso *Hutteno* nostro conscripti sunt, a *disciplinæ* tamen *ipsius alumnis* profecti omnino videntur. Quemadmodum enim sub persona *Philalethis*, *Ciuis Vtopiensis*, vt modo cognouimus, is adfirmauit, *fore, vt reliqui ciues sui, iique magno numero, non desisterent isto modo grassari, quoad Ecclesia ac Respublica tot malis premeretur.* ita *Misocacus ciuis Vtopiensis*, *Philalethis ex sorore nepos*, in præfatione, quam *tribus* confectis ab se *Dialogis* præ-

(tt) vid. *des III Theils Auserlesener Anmerckungen über allerhand wichtige Materien vnd Schrifften 6te Anmerckung.* vbi *XXX* isti *Articuli* recensentur, illustranturque. conf. celeberrimi *Hermanni von der Hardt Autographorum Lutheri & coætaneor.* T. III, p. 57. vbi commemoratur præterea *Ein klægliche klage an den Christlichen Ræmischen Kayser Carolen, von wegen D. Luthers vnd Vlrich von Hutten, auch wegen der Curtisanen vnd Bettelmünche, das Kayserl. Mai. sich nicht lasse solche Leute verführen: XV* loquentes introducuntur *fœderati* (*Bundgenossen*). argumenta, de quibus sermones instituuntur, pag. 57, seqq. simul recensentur a laudato viro.

præfixit (u), poſtquam adſeuerauit, *ſe crebris ſtimulis precibusque ciuium* quorum*dam ſuorum*, Philomuſi *inprimis & Philalethis opera incitatum, ſilentium demum rupiſſe*; ſcribit: *Aſt quod belluarum eſt, ira quodam & inſania irruentes, neque hoc ſolum a nobis bellum præſtolentur*: trecenti *enim, immo verius* innumeri, *in eorum excidium conſpirauimus*, Philalethe, *viro clariſſimo*, anteſignano: *cuius prima ſors excidit.* Quin per *Philalethen, anteſignanum, Huttenus* noſter intelligatur, neminem dubitaturum puto. Pari modo *Raphael Muſæus* in *Epiſtola*, quam in gratiam *Martini Lutheri* & *Hutteni, propugnatorum Chriſtianæ & Germanicæ Libertatis*, ad *Oſores*, Libello, qui *Murnarus Leuiathan* inſcriptus prodiit, adiecit, profeſſus eſt: *Quinquaginta ſumus, iurati in huiusmodi ſpurios & vanidicos, &, ſi nos non ſufficimus, implorabimus & amicorum opem.* Quemadmodum vero ad ſæculi portentorum iſtiusmodi debellandorum ſocietatem ineundam ſe inuicem concitarint, quædam *Petri Franciſci, Poetæ*, ad

 Hut-

(u) *apud Vtopiæ Aurotum: in ædibus Philagathi bibliopolæ diligentiſſimi. Sapiente Orbe.* in 4.

Huttenum nostrum' *Epistola* testatur (v): ex qua coniicio, eumdem auctorem esse *Dialogi*, festiui oppido eleganterque scripti, qui titulo notatus est, *Eccius dedolatus, auctore Io. Francisco Cotta Lembergio, Poeta laureato. act. X Kal. Mart. Anno MDXX, in occipitio Germaniae.* Plures eiusmodi Dialogos ac Libellos sine negotio commemorare possem. veluti sunt: *Canonici indocti Lutherani. Ludus in Caprum Emseranum. Biblia Noua Alueldensia. Dialogus de Fratre Hieronymo Nicolai Sauanarola* & quae accedunt. *Dialogi: Decoctio, Eckius Monachus. Dialogus Bulla, T. Curtio Malaciola, Equite Burlassio, auctore* (x). Huttenum *antesignanum* secutos esse Libellorum eiusmodi auctores, vel sola *argumen-*

(v) adiecta *Defensioni Christianorum de Cruce, id est Lutheranorum, cum pia admonitione* F. Thomae Murnar, *Lutheromastigis, Ordinis Minorum, quo sibi temperet a conuiciis & stultis impugnationibus Martini Lutheri*, Matthaei Gnidii Augustensis, *Rhetoris & Poetae laureati, an. 1520., 4.* Plures Libello additae sunt praeter istam *Haganoiae* scr. *VIII Calen. Ianuarii, Epistolae*, ad *eruditos Germaniae, M. Lutherum, populum Germaniae.*

(x) Singuli Dialogi isti, siue Libelli in 4 prodierunt; nec loco nec tempore, quo lucem adspexerunt, indicato.

menta declarant, quæ ab Huttenо, delecta antea, ipsi deinceps elaboranda susceperunt. *Ebrietatis laudem* commentatum antea esse *Huttenum*, sed, quantum constat, non edidisse, alibi a me notatum est (y). prodiit vero *Encomium Ebrietatis Christophoro Hegendorfino auctore* (z). *Crotum Rubianum* de *Brachio Domini lusisse quædam* nouimus (a) *contra Brachium sæculare*: hoc vero Huttenum tractasse æque cognitum habemus (b). *Verbosam* hunc etiam de *combustis Lutheri libris* meditatum esse *Epistolam*, non minus nouimus (c). an eam perfecerit, me fugit: tantum scio, exstare *Epistolam Vdelonis Cymbri Cusani de* Exustione librorum Lutheri & *Monachorum Dominicanæ factionis nequitia, ad Germaniæ proceres & ciues. In portentosum Romani Pontificis ministrum sub ouino tegmine*

V 4 *rapa-*

(y) p. 130, P. I Commentar. in not. (h).

(z) *Lipf. 1519.*, in 4. anno post, quam *Huttenus* spem fecerat, se tale aliquid editurum esse.

(a) ex epistola ad b. *Lutherum Erfurdiæ an. MD XX in peruigiliis Nicolai* ab ipso *Croto Rubiano* scripta, & insequenti anno *VVitteberga* separatim in 8 edita.

(b) ex epistola ad *Lutherum* missa, quam supra pag. 127 seqq. integram inserui.

(c) ex eadem epistola, p. 131.

rapacissimum lupum occultantem, Hieronymum Aleandrum. *D. Martini Lutheri discipulus.* Nullius commemoratorum hactenus scriptorum auctorem esse *Huttenum*, sub *ficto* latitantem *nomine*, adseuerare non ausim. *Huttenicorum Dialogorum* simillimus saltem mihi videtur, qui *Hochstratus ouans* nuncupatur, iure *festiuissimus* laudatus (d). Nisi omnia me fallunt,

(d) de hoc Dialogo *Erasmus* in *Spongia* b. 7 scribit: *Exiit ante biennium dialogus, cui titulus, ni fallor,* Hochstratus ouans, *qui videri poterat in gratiam meam scriptus. Nonne constanter & palam illum damnaui, ac modis omnibus egi, vt premeretur? Hac a me non fingi, sibi conscius est, & qui scripsit dialogum, & qui illi fuit in consilio.* quin *Huttenus* saltem in consilio fuerit, ego quidem non dubito. Quæ supra p. 122, seqq. a me enarrata sunt; in Dialogo hoc in hunc modum recensentur ab ipso *Hochstrato: -- pridem egresso* (mihi) *Louanium factus obuiam* (Huttenus) *equo insidens, comitatus duobus ministris, sic me terruit, vt parum abesset, quin conciderem metu.* Erostrate, *inquit, ore & vultu truci, & voce aspera*, nunc pœnam lues! nunc periisti, flagitium! *admota interim manu gladio, quo accinctus erat, ceu iamiam percussurus: me vero exanimato, & nescio quid parante deprecari, & forte fugam meditante; neque enim spem vidi salutis, subdit iterum:* Persiste, furcifer! non reddam ego, quod commeritus es, meus enim ensis non de-

lunt, ſub nomine *Simonis Heſſi* (e), qui præter alia *Libellum* emiſit, quo *cauſſas oſtendit, quare Lutherana opuſcula a Colonienſibus & Louanienſibus ſint combuſta, Huttenus*, ſaltem *alumnus* huius, latet. auctorem, vel hæc verba prodere videntur: *Lector, non pigeat te Ironias Heſſi perlegere, habes, quo pulmonem exerceas.* & extrema verba: *Tu interim his contentus, humeros ad pugnam parato & vale.* Complures etiam *Germanice* conſcriptos Libellos ac Dialogos eius generis præter paullo ante indicatos recenſere poſſem, quorum auctores ex Hutteni ſchola prodiiſſe mihi videntur: hos inter eſt: *Ain ſchœner dialogus vnd geſprech zwiſchen aim* Pfarrer *vnd* aim Schulthayſs, *betreffend allen* übelſtand der gayſtlichen *vnd* boeſs·handlung der weltli-

 chen

debet imbui tam vili ſanguine: ſed ſcias, multorum gladios iamiam intentos in iugulum tuum, periſti, certum eſt! &, *his dictis, diſceſſit, me multa excuſante & orante.*

(e) licet *Sacroſanctæ ſedis Apoſtolicæ Protonotarium S. Pontificis familiarem* ſeſe venditet. ill. *Seckendorf* in *Scholiis* ſiue *Supplementis* ad *Indicem I hiſtor.* Comment. de *Lutheran.* n. XXXVI, quis fuerit *Simon Heſſus*, compertum fuiſſe ſibi, negauit: qui *Dialogum Germanicum* inter *Lutherum* & *Heſſum* adornatum, ibi recenſet.

chen. *Alles mit geyzigkayt beladen.* in quo inter alia sic sermocinantur; Schulthaiss --- *Diß als strafft der* Luther, *warlich meins bedunckens, recht vnd wohl.* Pfarrer. *Ach lieber Schulthaiß jr thunt jm zu vil, jr solt nit also reden, jr verstonds nit, man hatt eüch etwan aufs neyd allso von inn gesagt, so glaubt jr leychtlich.* Schulthaiss. *Wie maint jr ob ich zu bald glaub, so fragend den* frummen Paschquillum von Rom, *wie es da selbst zu gang, vnd* Herr Vlrich von Hutten, *denselbigen glaub ich wol, auch wayßt* der Symon Hess *wol daruon zu sagen, wann er es darffte thun, vnd er nit des bapsts diener war.* Non autem in tanto eruditorum, qualis isto tempore exstitit, prouentu, de *veris* singulorum Libellorum istorum *auctoribus* diiudicatu facile hodie esse, per se quilibet concedet, spero. ipse *Lutherus* quum *in Eccium* istius generis *Libellus*, *Eccius* forsitan *dedolatus*, ad ipsum mitteretur, de *auctore* subdubitauit, *Dialogum Bilibaldi Pirckheimeri ingenium* olere, arbitratus (f).

Priusquam de postumis Huttaniani ingenii monimentis nonnihil addam, coniecturam adferendam censeo, qua du-

(f) Tom. I Epistol. p. 251, a.

ducor, *plurima Hutteni* nostri *scripta*, viuo ipso emissa, quibus locus, vbi typis exscripta sint, appositus non est, *in arcibus Steckelbergk, Ebernburg, Landstein, esse impressa.* In calce *Inuectiuarum contra Vlricum Wirtemberg. Ducem* (ff) nominatim memoratur *opus in arce Steckelbergk esse excusum.* Magno deinde ad persuadendum momento hæc verba esse possunt, quæ in *Dialogo* paullo ante commemorato, qui *Hochstratus ouans* nuncupatur, leguntur. Quum *Hochstratus* confirmasset, id operam dare Romanenses, vt *auctoritate Cæsarea* ipsum ac socios *libris vbique excudendis iudices* præficiant, ita, vt sine ipsorum suffragio nihil prelis admitti deinceps queat: *Leus*, alter *interlocutorum*, respondet: *Vereor, ne Equites Germani in suis* arcibus, *quas habent munitissimas*, faciant excudi, *tum bonas litteras, tum nostræ tyrannidis criminationes: emptorem, si id fieret, saltem occultum, nihil desiderabunt, & maiori tum odio nos grauabimur. qui sic videmur, nostra vitia, magis vt lateant, quam vt corrigantur, laborasse.* Certiora forsitan de *typographiis* eiusmodi, *in Equitum arcibus* tum *institu-*

(ff) vid. P. I Commentar. p. 236.

tutis, nos edocebit clarissimus *Io. Conr. Zeltner* in sua quam meditatur, de *Typographiis priuatis* Diatribe (g).

Quod denique ad *postuma Hutteni scripta* attinet, quinque annis post obitum eius publici iuris facti sunt *C. Sallustii & Q. Curtii Flores, selecti per* Hulderichum Huttenum, Equitem, *eiusque scholiis non indoctis illustrati* (h). In lucem hos produxit *Io. Heruagius*: qui *Epistolam* praefixit, qua *Io. Maio*, *Bohemicae ac Vngaricae Maiestatum Secretario*, Libellum dedicauit: cuius haec verba sunt: -- *Hulderichus Huttenus*, vir, *ne quid aliud dicam*, meliori dignus fortuna, *nullum primae notae auctorem euoluit; vnde non quicquid ad parandam loquendi supellectilem e re videbatur, accuratissime decerperet. Id consilii si a plerisque nostrae aetatis caperetur, maiori certe tum voluptate, tum vtilitate optimi quique auctores legerentur. Nacti igitur* τοῦτον τὸν λειμῶνα *selectissimis loquendi formulis ex* Sallustio *&* Q. Curtio *variegatum, ac Hutteni scriptum manu in publicum ede-*

(g) se meditari argumentum hoc, adfirmauit in fine praefationis, *Centuriae Correctorum in Typographiis eruditorum* ab se collectae, & *an. 1716 Norib.* in 8 editae, praem. p. 50.

(h) *Argentorati* an. 1528, in 8.

dere voluimus (i). -- *Quod si ea, quæ ex* T. Liuio *pari diligentia ac iudicio idem Huttenus congesſit, habere Musis bene fortunantibus licuerit: itidem communicare non grauabimur.* Quin *Heruagius* Flores iſtos ex *libraria* Hutteni noſtri *ſupellectile*, quam *Medicum Locerum* ex præda redemptam habuiſſe, tum, conſtat (k), impetrauerit, non dubito. *Frobenius* etiam cum eodem *Locero* de libris quibusdam indidem accipiendis transegerat, quos typis excuderet ſuis. inter quos *Quintilianus*, *Plinius*, & *Marcellus*, qui *Res Medicas* ſcripſit, fuiſſe commemorantur.] *Mauritius Huttenus* (l), pecunia Medico repenſa, vt gen-

(i) Variis vtriusque *auctoris Editionibus*, *Baſileæ*, & alibi, deinceps adornatis, acceſſerunt *Hutteni Flores*. *Henr. Glareanus* quidem ſubdubitauit, an Huttenus fuerit, qui tales ex *Salluſtio* collegerit: *leui id feciſſe eum brachio*, *ſibique luſiſſe*, *non in hoc*, *vt ederentur*, cenſuit, *ſi Huttenus Flores iſtos omnino collegit.* vid. *edit. Henricpetrin.* an. 1571, 8, pag. 356.

(k) ex *Ioach. Camerarii* epiſt. I, Lib. II *Epiſtolar. familiar.* p. 109.

(l) ibid. ad hunc enim *Camerarii epiſtola* ſcripta eſt an. 1529. Natus erat *Mauritius* anno 1503, ex illuſtriſſima *Huttenica* familia *ſtirpis Franckenbergicæ*

gentilis sui *Vlrichi Bibliotheca* sua fieret, studiose tum operam dedit. Vtrum acquisiuerit, equidem ignoro. factum id esse, leui quadam ducor coniectura: quod *Mauritio* huic nostri *Hutteni Arminius Dialogus* (ll) debetur. Id elegans, quod præmissum ei est, *Eob. Hessi* nos edocet *Carmen* (m): cuius postremi versus sunt:

Hunc

gicæ generatus, qui ad summas deinceps dignitates propter singularem, qua exsplendescebat, virtutem atque eruditionem, euectus est. postquam an. 1536 *Præpositus VVurtzburgensis* electus fuerat, tribus circiter intermissis annis, *Episcopus* creabatur *Eichstettensis*. diem obiit an. 1552. vid. *Lexicon Historicum Germ.* auspiciis summe reuerendi *Buddei* editum.

(ll) *Interlocutores* sistuntur in eo *Arminius*, *Minos*, *Mercurius*, *Alexander*, *Scipio*, *Hannibal*, *Corn. Tacitus.* Prodiit primum *Hagenoæ, an. 1529*, in 8: secundo, ni fallor, *VVitteberga an. 1557* ap. *Io. Lufft*, cura *Ph. Melanchthonis*, cum *Corn. Taciti Germania*, & aliis. Dignum diiudicauit Dialogum *Sim. Schardius*, qui T. I. *Germ. Script.* ab se collect. p. 425, seqq. edit. *Basil.* insereretur. eo Huttenum, *hominem patriæ amantissimum*, *Germanorum laudem celebrasse*, præmonuit Schardius: qui etiam elegans istud *Hessi carmen* ei præmisit. Accessit porro Dialogus *Io. Henrici Hagelgans* de *Prisca Germanorum ætate Dissertationi Coburg. an. 1635*, 12 ed.

(m) inuenitur illud quoque *Op. Poet.* Lib. VI, p. 550.

Hunc quod habes, patriæ Lector studiose, Libellum,
Hutteno *debes munera prima tuo.*
Altera Mauritio, Ioachimo (n) *tertia, nobis*
Quarta, aliquis nobis si locus esse potest.

Quemadmodum extrema priore Commentarii huius mei Parte effeci, vt Huttenus elegantibus ab se confectis versibus loqueretur, ita facere non possum, quin ipse & hac extrema Parte, te, non quidem ab se, sed ab alio (o) compositis, iisque luculentis itidem, versibus adloquatur, Lector.

Rhetor, Eques *fueram,* Germanis gloria terris:
Integer, ingenuus, carmine & ense *potens.*
Tetra mihi tribuit quamuis ferus vlcera Gallus:
Fama tamen pretium Nobilitatis *habet.*
Hinc si nostra leges, paucis intellige, Lector,
Quam non hæc frustra nomina tanta *geram.*

EPI-

(n) *Camerario* sine dubio: vtpote cuius opera in comparanda *Vlrichi Bibliotheca* vsus erat *Mauritius.*

(o) inter *Epitaphia Hutteni* coniunctim edita, supra memorata, leguntur, duabus litteris *T. V.* notati. quæ *Thomam Venatorium,* non ignobilem ætatis istius *Poetam, Ecclesiasten Norimberg.* fortasse indicant. cuius aliud insuper ibi legitur *Epitaphium Hutteno* scriptum.

EPISTOLARVM
QVAE AB VLR. DE HVTTEN
ET DIGNITATE ET ERVDITIONE ILLVSTRIBVS VIRIS INSCRIPTAE
POSTERIORI COMMENTARII PARTI EX TEMPORIS ORDINE COLLOCATAE INTEGRAE INSERTAE SVNT,
E N V M E R A T I O.

Mar-

* * *

Aliquot integras, præter enumeratas hactenus, easque ante *vicesimum* sæculi *annum* ab *Hutteno* scriptas, *Epistolas* inuenies, Lector, in *Analectis*.

HVTTENICORVM· SCRIPTORVM
AB ANNO CIƆ IƆ XX VSQVE AD CIƆ IƆ XXIII.
QVO AVCTOR FATO FVNCTVS EST,
EDITORVM
COPIOSEQVE IN POSTERIORE HAC PARTE EXCERPTORVM.

ELENCHVS.

(a) de reliquis duobus, qui in *Moguntina* ista editione accesserunt, Dialogis, *Febre Prima*, *Febre Secunda*, in priore Parte, pag. 212, 214, actum est; vtpote qui *anno 1519* iam editi sunt. Exstat vero etiam, præter indicatam istam *Moguntinam*, *alia editio*, quæ nec tempus, nec locum vbi excusa, adscriptum habet. in titulo duæ dumtaxat litteræ *M. H.* comparent.

(b) de vtriusque memorati modo Dialogi, *Febris Primæ*, *Febris Secundæ*, quæ & hic accessit, *Versione*, & in priore itidem Parte, & in Analectis ad hanc, egi.

(c) integra pag. 63 inserta.
(d) Singulæ *V Conquestiones integræ* supra sunt insertæ. *aliam* præter istam, ex qua typis nunc exscriptæ sunt, cognitam habeo *editionem.* sed neque hæc locum impressionis prodit.

Be-

(e) integræ communicatæ.

SCRIPTORVM
QVAE VLR. DE HVTTEN
CELATO FICTOVE NOMINE(f)
DIVVLGASSE EXISTIMATVR
I N D E X.

(f) Quid sub *Eleutheri Byzeni* persona emiserit *Huttenus*, vid. P. I Comment. p. 162, seqq. An vero *Vdalrici Episcopi Augustani Epistolae ad Nicolaum Papam*, *aduersus coelibatum Sacerdotum*, auctor sit, vt in *Vinc. Placcii Theatro Pseudonymor.* p. 602, n. 2778, perhibetur, est, quod valde dubito. necmi-

* * *

Plurimorum *contra corruptos sæculi* istius, in quod *Hutteni* ætas incidit, *mores* editorum *Libellorum*, qui, si non ab ipso *Hutteno* conscripti, a *disciplinæ* tamen ipsius *alumnis* profecti videntur, *succinctam enumerationem* attuli a pag. 308 --314.

nus dubito, an *Huttenus* noster sub *Eubuli Cordati* persona lateat: vt ibid. p. 260, n. 965, traditur. cuius epistola *Montesio suo* inscripta, inter *Singulares claror. Virorum Epistolas*, collectore *Paulo Colomesio* ed. omnium prima est. Huttenicam saltem dictionem non redolet. nec vero Huttenus tempore isto, quo epistola scripta est, (*Romæ Cal. Iul. 1519*), in *Italia* commoratus est: castra tum Sueuiæ fœderatorum contra Vlricum Wirtemberg. D. secutus.

ELENCHVS.

HVTTENI SCRIPTA POSTVMA.

RERVM MEMORABILIVM QVAE IN HAC *POSTERIORE COMMENTARII PARTE OCCVRRVNT*, INDEX.

A.

vt

tus

con-

Si-

Veri-

* *

Paucorum horum *erratorum*, & si alia quæpiam exstiterint, veniam auctor exposcit. p. 16, vers. 13 leg. *agnouit.* v. 14 *salutari.* p. 53, v. penult. l. loco *Pallauicinus, Ph. Labbæus.* p. 62, v. 9, l. *data.* p. 65, n. (u) vel *libello* potius *de Schismate exstinguendo.* p. 76, v. 6 l. *multos.* p: 103. v. penult. l. *perscriberet.* p. 195. v. penult. l. *cepero.*



AD

AD PRIOREM
DE
VLR. DE HVTTEN FATIS ET MERITIS
COMMENTARII PARTEM
A N A L E C T A.

ANnalecta, quæ hic vides, beneuole Lector, & quæ æqui bonique consules, spero, magnam partem *generosissimo Domino IMHOFF*, & in Præfatione & in ipso Commentario honoris caussa nominato, accepta refero. Hic enim pro insigni sua humanitate non tantum Hutteni Lucubrationes, ac diversas harum editiones, numquam antea a me visas, beneuole commodauit mihi: verum multa etiam, quæ Equitis nostri Fata non parum illustrant, prudenter ab se in omnis generis auctorum lectione adnotata benignissime mecum communicauit.

Versus, quem priori isti *Hutteni imagini* subieci, a quibusdam *Gerardi Fausti, Confluentini*, esse, existimatur; veluti ab auctore libelli (a), in quo *Poetæ, Historici & Germani aliquot celebres singulis distichis* laudantur: item ab *Aegidio Periandro*. Ego *Nicol. Reusnerum* in primis secutus (b), *Georgium Fabricium*

(a) *Argentorati* ap. *Io. Schottum* an. 1546 in 4. editi.
(b) *Imagin. Viror. litteris illustr.* b. 7.

cium auctorem versus statui: excellentis certe Poetæ huius ingenio ac vena indignus is non est.

In illorum numerum, quos Hutteni nostri Vitam conscripsisse, in præfatione commemoraui, referendus omnino est *Cyriacus Spangenberg* (c) & *Aegidius Periander*, modo nominatus (d).

p. 65, in not. illos, qui antiquissimæ ac illustris Familiæ *de Hutten Genealogiam* cognoscere voluerint ad *Lexicon Historicum Germ.* ablegaui. eamdem Genealogiam fuse atque ordine excussit *Io. Maxim. Humbracht in der Vortrefflichkeit des Deutschen Adels*, Tab. CLXVII, seqq.

pag. 67, ex *Fuldensi* monasterio *Croti Rubiani* hortatu *Coloniam* commigrasse Huttenum, ostendi. Heic *Ioanne Rhagio Aesticampiano*, qui merito suo inter primos litterarum per Germaniam instauratores refertur, præceptore vsus est; tanti eum faciens, vt *discipulum* ipsius publice se sit professus (e).

p. 71.

(c) in *Adelspiegel*, Part. II, lib. VI, cap. X.

(d) in *Germania* eius: in qua scilicet *doctissimor. Viror. elogia & iudicia ex poetarum monimentis* collegit; pag. 832.

(e) id fecit *Publii Vigilantii Bacillarii Axungia Historiæ In-*

p. 71, *pedum morbi*, ex quo Huttenus laborauit tum, mentio iniecta est. de *morbo* hoc cap. III Lib. *de Guaiaco* scribit: *Mihi tale quoddam tuber supra talum sinistri pedis introrsum, postquam semel callum induxerat, octo totos annos, nulla perunctionum vi, nullis fomentis emolliri, aut vt suppuraret, cogi potuit. videbatur.*

Inaugurationis Vniuersitatis Francofurtanæ Carmen ab se confectum adiiciens: vtpote quod insignitum est: *Vdalricus Huttenus, Phagigena, Iohannis Rhagii Aesticampiani discipulus, ad lectorem huius libri.* Qui scire volet, cur *Phagigenam* se nominarit, *Epigramma* legat, quod ipse de *natali solo* composuit. vid. Comment. P. I, p. 63, n. Prodiit *Inaugurationis* ista *Historia an. M D VII, exarata in officina honorandi viri Conr. Baumgardt Rottenburgii, in vrbe Franckphordiana ad Oderam, Idibus Februariis,* integra a cl. *Becmanno Notitiæ Vniuersitatis Francof.* inserta, vna cum *Hutteni* nostri *Carmine.* Ex quo primum apparet, recte me p. 69, Com. collegisse, Huttenum *Colonia* circa annum VI sæculi illius in *nouam academiam* commigrasse. testatur deinde hocce nostri Carmen, verissime *Morerium* statuisse, hunc *duodeuicesimo ætatis suæ anno poemata edere* cœpisse; qui a cl. *Baelio* iniuria erroris hac in re insimulatus est. vid. p. 73 Com. n. Quod ad *Io. Rhagium* attinet: vid. Dissertatio quæ de ipso an. 1703 *præside Daniel. Fidlero Lipsiæ* habita est.

turque os id esse: donec Guiaci *nuper medela dissipatum euanuit.*

p. 72, in not. Hutteni *Versificandi Artem* esse, conieci, quæ *Lips. 1518, Stichologia compendiosa* inscripta prodierit: inspiciendæ enim huius copia facta mihi adhuc tum non fuerat: postquam vero hæc nuper facta mihi est, coniectura falsum me non esse, cognoui. *Lipsiæ* prodiit *ex ædibus Valentini Schumann* a *Christoph. Hegendorffino Eobano Hesso* nuncupata: qui præter *Epigramma* in eiusdem *Eobani* ac *Hutteni laudem*, & *Asclepiadeum* in *solius* huius *laudem Carmen*, *Epistolam* ad *Hermannum Tulichium* scriptam addidit: qua *veteres Poetas*, & ex recentioribus *Glareanum*, *Eobanum* atque *Huttenum* laudauit: quem postremum *ad Poeticam natum* censuit. *in cuius carminibus tam facilis & acuta exsistat inuentio, tam rotunde omnia cohæreant, vt quasi aliud alii adcreuisse videri queat.* Priusquam eadem *Hutteni Ars versificandi Basileæ* anno 1551, cum *Iodoci Willichii libellis* aliquot prodiit, vt ibidem notaui, *Lipsiæ* iam anno 1539, ap. *Michael. Blum*, cum iisdem *Willichii libellis* edita fuerat. Nouissime clarissimus *Ackerus* inter *Selecta Poetica* pag. 35 seqq. *Rudolstadii* anno 1711, in 8, Hutteni *Artem* istam emisit. at nusquam

lucu-

luculentissima ista *Hutteni* ad *Pomeranos Equites de Osthen Epistola*, quam ego, ex omnium prima editione desumptam, integram ibi dedi, apparet.

p. 82, *Hutteni alteram in Italiam profectionem* in *XII*, siue *XIII saeculi annum referendam* existimaui. recte me id coniectasse tum, vt credam, *narratione* in praesenti adducor, quam integram adscribam. Beneuole hanc pro suo in me, quem permagni facio, fauore mecum communicauit, vir maxime reuerendus *Alb. Meno Verpoortenn*, ex eodem *manuscripto codice*, vnde *Epistolas ad Wenc. Lincum datas* IX abhinc annis in lucem publicam protulit, praeclare de erudito orbe cura ista promeritus, depromptam. *Vlr. Huttenus inter Nobiles Francos doctissimus Eques auratus*, & purioris, *tempore Lutheri*, doctrinae propugnator acerrimus, *quum aliquando vidisset* Romam, *quum ipsius vitae insidias strui propter doctrinam* (f) *ex fide-*

(f) non *Lutheri*; hic enim sermonibus nondum celebrabatur isto tempore: sed *litterarum*. sanas quidem verasque *de religione* Huttenus iam tum habebat *opiniones*, ab *Luthero* deinceps magis magisque confirmatas. id quod & *Praefatio Vallae libello* praefixa, *Epigrammata*, *Dialogi* atque *Orationes in Iulium II P. M.* deinceps confecta, aperte ostendunt.

fideli Germano intellexisset, voluit sibi fuga consulere, reuersurus iam in patriam. quum per portam Romæ egrederetur, videt eam iam pridem coloribus renouatam & denuo insignitam numero illius anni MCCCCLX. *ipse arrepto carbone subscripsit singulis litteris singulas has voces:* Multi Cæci Cardinales Creauerunt Cæcum Leonem X (*sic enim cognominabatur Pontifex illius temporis*). *atque mox arrepto itinere euasit* (ff).

Nullam *Epigrammatum* reliquorumque *Poematum Hutteni coniunctim emissorum* editionem præter illam, quæ *Francofurti* anno M D XXXVIII, in 8, diuulgata sit (g), conspexisse me, quum priorem Commentarii Par-

(ff) *Leonem* ao. CIↃ IↃ XIII *Pontificem* creatum esse, constat.

(g) qua continentur: *Vlr. Hutteni Epigrammata.* in *Tempora Iulii II Satyra.* ad *Maximilianum Imp. Exhortatorium, vt bellum in Venetos prosequatur.* de *Piscatura Venetorum*, Heroicum. *Marcus Hutteni.* Heroicum. de *non degeneri statu Germanorum* Heroicum. *Epistola Italiæ ad Maximilianum Imp.* Responsoria *Maximiliani Imp.* ad *Italiam*, auctore *Helio Eob. Hesso.* ad *Cardinal. Adrianum pro Capnione Intercessio.* *Triumphus Capnionis.* Panegyricus in laudem *Alberti Archiepiscopi Mog.* in *Pepericorni Vitam & obitum.* Οὖτις, *Nemo. Vir bonus.* de *Arte versificatoria.* De quibus, si non singulis, præcipuis tamen,

Par-

tem ederem, p. 85, in not. *confessus sum.* Contigit posthac, vt euoluerim *Volumen* in 4 ed. *ex officina excusoria Ioannis Miller III nonas Ianuarias, M. D. XIX.* quo & *Epigrammata* & plurima *Hutteni Carmina*, cum *variis*, quae argumentis accommodatae erant, *imaginibus*, continebantur; his *Ioachimi Vadiani Heluetii, Poetae & Oratoris laureati*, Epistola, *Viennae Pannoniae II Idus Ianuarias anno M D XII* scri-

pta,

Parte priore a me actum est. Si *Marcum*, Heroicum, & de *Arte Versificatoria* Carmen exceperis, omnia in *Parte III Deliciarum Poetarum Germanor.* p. 635 seqq. reperies, Lector: luculentissimis tamen Hutteni praefationibus omissis. *De non degeneri Germanorum statu* Heroicum *Marq. Freherus* Tom. II *Germ. rerum Scriptor.* ab se edito praefixit, *perelegans* id nuncupans *Carmen.* Summum *Eob. Hessus* Poetam coluit Huttenum: id quod vel ex his eius versibus, qui pag. 253 Op. Poet. leguntur, cognosci potest:

Inspice, Posteritas, Hutteni carmina Vatis,
Hunc recto poteris dicere iure tuum.
Hac igitur, forte atque alia ratione, poetae
Nullius in nostro carmine nomen erit.

Fridericus a Nostitz in Carmine *de Praestantia, Vtilitate & Suauitate Artis Poeticae VVitteb.* an. 1571, in 4. ed, nostri *Venam* sic laudauit:

Aeternas pariter laudes Huttenus habebit,
Francia quem clarum nobilitate tulit.
Vir grauis ipse graues res tractat, & ardua scribit.
Carmina; & absurdi displicuere modi,

pta, præmiſſa erat: qua *Georgio Collimitio*, *Mathematico & Medico*, librum dedicauit. Quum permulta, quæ ad *Hutteni Fata* ſpectant, hac *Vadiani Epiſtola* edoceamur, integram eam adferre, operæ pretium diiudico. Ipſum quidem hunc Vadianum exſtitiſſe, qui inſcio Hutteno *Epigrammata* huius ediderit, quum Italiam iterum petiiſſet, non obſcure inde ſimul colligo. iterata enim, quæ ex *Millerana iſta officina* prodiit, fuiſſe videtur. editio. *Epiſtola Vadiani* hæc eſt: *Venit ſuperioribus menſibus ad me* Mariumque, *&* Apobachum *illum eruditum, dum ageremus contubernio*, Vlrichus Huttenus, Poeta, *tam, vt ipſe quidem videre videor*, ingenii fecunditate nobilis, *quam* maiorum claritudine, *ac* inſigni proſapia famigeratus, *qui ea fere ratione, & acceſſit nos, & acceptus a nobis eſt, qua conſtantiæ ac fortitudinis exemplar* Vlyſſes *ille, dum terris iactatus, & alto, vi ſuperum, poſt ingentem illam* Alcinoi, Phæacum Regis, *humanitatem, patriam petens, ad nos venit, quibuscum priſtinæ quietis voluptas ſibi acceſſit. Quum enim vel prima nocte, qua lares noſtros ingreſſus eſt, petentibus nobis, ordine narraſſet, quam* peregrinatio *ſua* experiendi gratia inſtituta, *ærumnis referta fuerit, quamque in* Germanico *etiam* Oceano, *quod attigit*, Scyl-

læam rabiem *expertus, ad proxima littora in* Cyclopum *manus inciderit. quos primum (mirum) amicos habuisse aiebat, deinde vero, vrgente fato, quum iter alio instituisset, furore correptos, præter vitam omnia eripuisse sibi, quam & ipsam petitam esse*, cicatrices, *quas nobis dum iretur cubitum, ostendit, satis attestantur. Deinde quemadmodum circa ea loca a* Calypso *quodam exceptus, fotus, & curatus summa cum diligentia fuerit. Rursum vero, Mercurio suo ita instigante, per* saltuosa Boemiæ, *pannosus & naufragio squallens, in* Morauiam *illam, fertilitate Corcyræ fere parem, vt casu venerit, ibique ad* Stanislaum Tursonem episcopum Olomucensem, *studiosorum & Musas colentium Alcinoum liberalissimum, deductus fuerit; non quidem a* Nausicaa, *quæ illic nulla erat, sed ab* Echeneo heroe, *hoc est,* Augustino Morauo, *qui summa eruditione & prudentia vir, Hutteno adpulso, vt animum nouit, ex officio est patrocinatus, quemadmodum Echeneus apud* Homerum, *in* Odyssea Vlyssem *peregrinum, in* Alcinoi *auro gemmisque lucescentem aulam, induxit, minimeque passus, ad focum eum in cinere vltimum sedere. Cui Episcopo quam grata fuerit Hutteni præsentia, certum faciebant, &* alacris sonipes, *quem illi dono dedit, &* largum admodum viaticum, *quo ad*

nos

nos vsque peruenit, *tum* annulus ex auro & insigni gemma, *ab* Augustino Præposito *donatus*: *quem summa vtriusque laude*, *& commendatione crebro digitis gyrabat*. *Quum*, *inquam*, *hæc & alia memoria versaret*, *manum in sinum inserens*, Carmen *deprompsit*, *solutis inscriptum schedulis*: *&*, censete, *inquiens*, viri boni, quo loco habenda sit ea opera, quam diebus proximis ob itineris ærumnas constans, in inuictissimi Cæsaris nostri memoriam, ex rebus a se institutis insumpsi. *Quod quum vellicatim carperemus*, *erant enim*, *vt* Sibyllina *olim*, folia dispersa: *placuit omnibus inuentum*: *dataque & illico opera eius exscribendi*, *& libelli formula compingendi*. *quem nuper*, *dum in patriam abit* Marius, *rursus visum deprehendi*, *visusque est relegenti mihi luce & multorum lectione dignus*. *Et subinde apud* Hieronymum *nostrum ac* Syngremium, Calcographos, *eius inuulgandi opera suscepta*: *qui typis suis exactissimis rei litterariæ his annis nonnihil visi sunt profuisse*; *& hunc*, *credo*, Libellum emunctissimum *edent*: *tuo vero Nomine insignitum*, Georgi Vicecancellarie. *quod &* Huttenum *nostrum*, *dum aderat*, *multa humanitate*, *& singulari beneuolentia*, *vt decebat*, *prosequebaris*, *& Imperatoris* Maximiliani *victrices Aquilas*, *animumque inuictum*,

& in eruditos omnes incredibilem benignitatem, decantari, &, vt merito sit, commendari, gratissimum tibi semper fuerit. quemadmodum est & mihi, & ceteris bonis, qui iustam caussam externo fauori anteponunt. Vale, & tecum cogita, quid Germanis de Hutteno *sperare liceat, qui haec & alia,* nondum vicesimum egressus annum (h), *meditetur. Wittenberga,* vbi nostrum anno CIↃ IↃ XI commoratum esse, p. 71, seqq. ostendi, *per saltuosa Bohemiae loca, atque Morauiam Viennam perrexisse eum,* non obscure ex Epistola hac colligo. Hinc *iterum in Italiam abiisse,* p. 82 monstraui. Ex eadem hac Epistola satis perspicue intelligo, cur noster, *& terra & aquis frequenter in discrimen se deuenisse,* conquestus sit; id quod p. 123 exquirere satis me potuisse, negaueram. Ita discipulus est prioris posterior dies.

pag. 119 de *Praefatione,* quam *Huttenus Laurentii Vallae Declamationi de falso credita & ementita Constantini donatione* praemisit, a me actum est. Prodiit etiam *Vallae Declamatio* vna cum *Hutteni praefatione* in 8, nescio quo loco ac anno; neuter enim additus est. adiecta sunt

(h) egressus omnino erat; *XXIV* tum, quum scriberet ista Vadianus, *agens annum.* ipse hic *Vadianus* sic inter alia *Huttenum* praedicauit:

Cui Venus ad versum ridet cui Phoebus Apollo:
Maeonium inspirat Pindaricumque melos.

ſunt *Nicolai de Cuſa*, *Antonini Archiep. Florent.* & *Hieron. Pauli Catthalani* de eadem *donatione* ſcripta. Legitur porro Vallæ Declamatio cum præfixa Hutteni præfatione in *Faſciculo rerum expetendarum ac fugiendarum* an. 1535 ed. f. 64, ſeqq. item in *Sim. Schardii Collectione Scriptor. de Iurisdictione, Auctoritate & Praeminentia Imperiali* &c. p. 734, edit. *Baſil.*

p. 125 erraui, ſcribens, *Huttenum* ſuam *ad Principes Exhortationem Auguſtæ conſcripſiſſe. Moguntiæ*, paullo poſt *Alberti aulam* eo ſecuturus, iſtam elucubratus eſt. *Auguſtæ* tamen tum edita eſt, inſcripta: *Vlrichi de Hutten Equ. Germ. ad Principes Germaniæ, vt bellum Turcis inuehant, Exhortatoria, publico Germaniæ Concilio, apud Auguſtam Vindelicorum, anno Domini M. D. XVIII. Maximiliano Auſtrio Imperatore.* In *officina excuſoria Sigiſmundi Grimm Medici, & Marci Wyrſung* (i). Elegans ei ad *Chunr. Peutingerum, Patricium Auguſtanum*, præfixa eſt Epiſtola: ex qua p. III ſeq. inſignem locum excerptum dedi. Illam, quam *Iacobo de Banniſiis, Decano Tridentino, & Caeſ. M. a Secretis*, inſcriptam, *Exhortatoriæ* huic ſuæ ſubiecit Huttenus, *Epiſtolam* dignam cenſeo, quæ integra a me

(i) ſubiectum eſt orationi *Hutteni ad Germanos ſuos Exhortatorium*, Elegiaco carmine conſcriptum,

proferatur. *Quia iturus es ad Cæsarem, eique commendaturus me videris; ne sine aliquo meo, quo vtriusque illum nomine dones, munusculo eas: ecce tibi* Orationem, *si meretur dici, ornatissime* Iacobe, *quam* ad Principes lusi. *Dico* lusi, *non mea quidem voluntate, sed illorum iudicio. iam hoc enim verbum non ob id vsurpo, quod mihi ioco exciderint hæc, qualiacunque sunt; sed quia* ludus est *illis*, de bello Turcico verba facere. *Adeo non mouent hoc tempore homines, quæ exitium* imperio, *exitium* patriæ, *atque adeo exitium* religioni. *quæ minantur. ac vereor, vt vllis aliquando exhortationibus effici possit, vt quibus maxime, & inprimis esse debuit, cura istiusmodi rerum sit. Deus nos respiciat, ac mentem Germanis indat meliorem; vel quæ ad cognoscendum se hac tempestate satis sit. Tu vade bonis auibus, ac apud isthunc rerum Dominum me, quem tot iam annis alii mouent, tandem promoue. Dabis hoc communibus studiis, aut ei dabis, quæ te supra omnes Cæsaris consultores humanitatis opinione effert, famæ. Vale. ex* valetudinario *meo,* Augustæ, *III Idus Octobris.*

Eodem *XVIII* sæculi *anno*, prius, vt coniicio, quam *Augustam* abiit Huttenus, *T. Liuius Moguntiæ*, ex *officina Io. Scheffer*, ex *antiquo ædis S. Martini* ipsius huius vrbis *codice*

au-

auctior prodiit, *Alberto Archiep.* verbosa satis Epistola ab Hutteno nostro dedicatus. qui censuit, *Liuium*, egressu suo locum aliquem decoraturum, nullam vrbem præferre potuisse *Moguntiæ, vrbi impressoriæ artis, omnium, quæ vsquam exstiterint, præstantissimæ, inuentrici.*

p. 126, in not. varias *Hutteni* Carminis, quod *Nemo* inscriptum prodiit, commemoraui *editiones*: his complures, quas inspicere postea contigit, addere in præsenti queo. Typis videlicet exscriptus etiam est Nemo *Augustæ* in *officina Millerana*, lepida *Neminis* præfixa *imagine*, in 4. annus, quo in lucem inde prodierit, indicatus non est. *Basileæ* apud *Io. Frobenium mense Ianuario, anno M. D. XIX.* 4. *Rostochii anno M. D. XLIV*, 8. *facetissimum ac festiuissimum Carmen* inscriptus. Nec indignum hoc censuit celeberrimus *Herm. von der Hardt*, quod *Historiæ litterariæ Reformationis*, insigni operi, nuperrime cura ipsius foras dato, præmitteretur:(k) velut *breue illius æui compendium historicum, quod circumstantias potissimas rerum tunc gestarum comprehendat, suis neruis argutum valde, quod attentum poscat lectorem.*

(k) cuius P. II, p. 148, seqq. *Eleu. Byzeni, s. Hutteni, Triumphum Capnionis* integrum etiam inseruit, p. 145, eiusd. pro Capnione s. Reuchlino ad H. Nuenarium Epistolam adiecit.

&ex quo *Nemo non miretur Vlyssem.* Singulis his editionibus luculentissimæ *Hutteni* ad *Crotum Rubianum* & *Iulium Pflugk Epistolæ* additæ sunt. *Caspar Dornauius* porro Hutteni Neminem *Amphitheatro Sapientiæ Socraticæ Ioco-seriæ* p. 157, inseruit. nec postremum locum clarissimus *Ackerus* inter *Selecta Poetica*, quæ *anno M DCC XI Rudolstadii* emisit, dedit Hutteni Nemini.

p. 130. in not. *Hutteni Aulam Augustæ ex officina Sigismundi Grimm Medici* & *Marci Wyrsung*, d. *XVII Septembr.* primum prodiisse, adfirmaui. denuo ex eadem *officina* insequenti anno, *VII Cal. Apriles* prodiit *Aula:* promissione, *Ebrietatis laudem*, ab Hutteno confectam, *iisdem typis propediem editum iri*, repetita. *Prognosticon* insuper *ad an. M. D. XVI ad Leonem X, P. M.* Heroicum *Hutteni* Carmen, iteratæ isti *Augustanæ* editioni accessit.

p. 167 in not. me solius *Prioris Obscurorum Virorum Epistolarum Libri editionem primam* vidisse tum, fassus sum. nuper & *primam Posterioris Libri editionem* vidi; ita inscriptam: *Epistolæ Obscurorum ad Magistrum Ortuinum Gratium Dauentriensem, Coloniæ Latinas litteras profitentem, non illlæ quidem veteres & prius visæ: sed & nouæ & illis prioribus elegantia, argutiis, lepore ac venustate longe superiores.*

res. *Sex* numero in circulo ſedentes *viri obſcuri, libros euoluentes*, in fronte libri comparent: qui in f. 4 æque, ac Prior iſte, prodiit. tempus itidem celatum eſt. in calce tantum hæc verba leguntur: *Quinta luna Obſcuros viros edidit. Lector ſolue nodum: & ridebis amplius. Impreſſum Romanæ curiæ. Poſteriorem librum Priori mox ſucceſſiſſe, Eraſmus* in *Spongia* b. 7 adſeuerat: qui addit, *ſe auctores non ignoraſſe: quorum tres exſtitiſſe*, compertum habuiſſe ſe, adfirmat. quæ non parum illud corroborant, quod pag. 165 ſeqq. probatum iui.

p. 184 in not. exputare non potui, quomodo fieri potuerit, vt *B. Pirckheimerus Vlricum Huttenum de Alb. Dureri morte*, quæ in annum CIↃ XXVIII incidit, *certiorem facere potuerit. Vlricum Huttenum, ex Franckenbergica ſtirpe generatum, Ioannis*, ab *Vlrico Wirtemberg. Duce* trucidati, *fratrem*, intelligendum eſſe, nunc coniicio: qui anno CIↃ IↃ XXXI diem obiit.

p. 198. *de Guaiaci Medicina & Morbo Gallico Libri*, cuius auctor eſt *Huttenus*, mentio a me iniecta eſt. *primam Libri editionem Moguntiæ in ædib. Io. Scheffer an. M. D. XIX prodiiſſe*, dubitanter quodammodo tum adfirmavi: nunc vero adſeuerare queo, *anno* omnino *iſto prodiiſſe Librum*, ſiquidem contigit nu-

per,

per, vt *primam editionem* inspexerim. Non solum *verbosa* ei *ad Albertum Archiep.* præfixa est *dedicatio:* qua *laudes* huius & *beneficia* in se collata *celebrat* Huttenus: verum etiam *Pauli Ricii Medici* ad *Huttenum* & *huius* ad *Ricium Epistola* subiectæ sunt. *Hutteni Epistolam* integram adferam: siquidem vitam ipsius quodammodo illustrat. *Vlr. de Hutten Equ. Germ.* Paulo Ricio, *Cæsari a Medicina, Salutem. Epistolam tuam legi, doctissime* Rici: *in qua recte mones de* Guaiaco *illustrando. In quo dubitare nemo debet, quin hoc mereatur res ipsa. Verum ego an possum, hoc in ambiguo est. Experior tamen, & tuo iussu, & mea gratulatione, seruatus ac mihi redditus Guaiaci ope. Quod adnectis vero de* Cardinali Gurcensi, *fieri non potest, vt illi dedicem labores meos. Non quia nolim vel cucurbitam laudare, si tu postules; aut ille non mereatur, sed quia ingratum illi futurum scio, a me quicquid acceperit. Nescio qua aut illius opinione, aut mea fortuna. Scio, non facile credis, quod scribam: soles tu enim dicere litteras amare illum, & ingenia complecti: scribam tamen, &, nisi omnia fallant, persuadebo etiam. Anno abhinc sexto, quum* Bononiæ scholasticus agerem, *atque ille legatus ad* Iulium II *Cæsaris* Maximiliani *esset, & in eo itinere* Bononiam *accessisset, rogatus sum a Ger-*

ma-

manis ibi, quandoquidem carminibus & orationibus occurrerent Cæsaris legato Itali multi, ne videretur ex Germanis item potuisse hoc neminem, aliquid & ipse conscriberem, quod illi offerretur. Parui, obsecutus sum: Panegyricum lusi. *In membranis conscriptus Libellus est, & purpura indutus, ac deaurata frons: Titulus minio, reliqua, vt potuerunt, exculta. Tum ille quid? Non possum dicere aliud:* contempsit munus meum. *Flagitaui haud multo post, quia in maximis summorum Principum negotiis versari scirem, magnis vsus amicorum intercessionibus, adscribi in illius comitatum. Sed neque impetraui hoc, neque me ille, quum militiæ agerem, summa cum inopia, ac ante ipsius oculos sæpe obambularem, aut salutatione, aut respectu dignatus est. Tantum abfuit, honorem vt inuicem haberet, sic de se merito. Huic tu vis libros meos adscribi? aut hunc me voles ornare? præsertim quum hoc ille non postulet, vt qui domi suæ habeat, qui hoc faciunt; illum in primis* Bartholinum, Conuentum Augustensem *qui* descripsit, *vbi tantum illum effert; vt non modicum aliis detrahat. Me quidem* suum *appellat inibi, ratus, sic fore, vt non sentiam occultum quemdam morsum. Quamquam non ignorare debes tu, ita mihi placere, si me* suum *dicet* Bartholinus, *vt interim non displiceat, sinistre*

ſtre in me quod ſit, *aut* Italice quod ſit. *Sed deſinam plura. Tu quod facis, inter medendum* Guaiaci naturam *omnibus, vt ita dicam, veſtigiis inquire. Ego quidem, vt voluiſti, quæ iam explorata habebamus, ea in litteras retuli. Tu adde, quæ experientia cognoſces, ac Huttenum ama, amantem te mirifice.* Auguſtæ *Idib. Nou. An. M. D. XIX.*

ad p. 229. notetur, *Phalariſmum Dialogum*, an. 1519, in 8. ſeorſim quoque excuſum, exſtare. qui *ab anonymo*, neſcio quo loco ac tempore, *in Germanicam linguam conuerſus eſt*, in f. 4. ed. non indocta verſioni huic ab eod. anonymo præmiſſa eſt *præfatio*.

p. 237, vbi de *vtraque Febre*, Hutteni *Dialogis*, egi, addatur; *Febrem I Ambergæ* ap. *Io. Schœnfeld* eod. anno, quo primum ea lucem adſpexit, denuo prodiiſſe in 4. *Vtraque* vero *Febris* inſerta etiam eſt *Caſp. Dornauii Amphitheatro Sapientiæ Socraticæ iocoſeriæ*, quod *Hanou.* ed. typis *Wechel.* an. 1619, fol. T. II, p. 176. ſeqq. *Febris I verſionem*, cuius ead. pag. in not. mentionem feci, & cuius duplex exſtat editio, *ipſe Huttenus edidit, Fr. de Sickingen* dedicatam, *Kal. Mart. an. M. CCCCCXIX.* De eiusd. *Febris I* & aliorum *Dialogor. Hutten. verſione* vid. P. II Com. pag. 150 ſeqq.

F I N I S.